AUTHOR:

THOEMES, NICOLAUS

TITLE:

COMMENTATIO LITERERIA ET CRITICA...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1874]

Master Negative #

93-81447-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Thoemes, Nicolaus, 1846-

Commentatio literaria et critica de Sancti Thomae Aquinatis operibus ad ecclesiasticum, politicum, socialem statum "Reipublicae Christianae" pertinentibus, deque eius doctrinae fundamentis atque praeceptis; dissertatio inauguralis quam... publice defendet auctor Nicolaus Thoemes... Berolini, Typis expressit Gustavus Schade, [1874]

150 p. 22½ cm.

Thesis, Berlin, 1874.

VOLUME OF PAMPHLETS

400191

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x


IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 5/27/93 INITIALS BE


FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT










Centimeter
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
mm
1
2
3
4
5
Inches







COMMENTATIO LITERARIA ET CRITICA
DE
SANCTI THOMAE AQUINATIS
OPERIBUS AD ECCLESIASTICUM, POLITICUM, SOCIALEM STATUM „REIPUBLICAE CHRISTIANAE" PERTINENTIBUS, DEQUE EIUS DOCTRINAE FUNDAMENTIS ATQUE PRAECEPTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE VIII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXIV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
NICOLAUS THOEMES
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
G. KILLING, DR. PHIL.
R. MAYER, CAND. PHIL.
FR. BRAEUTIGAM, DR. MED.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE).
Marienstr. 10.

REV. DOM.

BERNARDO IOANNI ENDRES

CONV. EPISCOP. TREV. DIRECTORI

ECCLESIAE CATHEDRALIS TREV. VICARIO

IUVENTUTIS AMICO STUDIIQUE LITERARUM PATRONO

D. D. D.

Erat enim novos in sua lectione movens articulos, novum modum et clarum determinandi inveniens, novas reducens in determinationibus rationes, ut nemo, qui ipsum audisset nova docere et novis rationibus dubia definire dubitaret, quod eum deus novi luminis radiis illustrasset, qui statim tam certi coepisset esse iudicii, ut non dubitaret, novas opiniones docere et scribere, quas deus dignatus esset, noviter inspirare.

GUILELMUS DE TOCCO, C. AN. 1321.

Numquam, qui eum tenuit, invenitur a tramite veritatis deviasse, et, qui eum impugnavit, semper fuit de veritate suspectus.

INNOCENTIUS VI, C. AN. 1360.

Sicut nihil praeter Thomam dignamini vestra lectione, ita nihil vultis in eo falsum videri, in qua sententia iam diu contra omnes academias et totum fere mundum contenditis.

LUTHER A. 1518.

Cum autem diversissimo animo, scopo quoque et viribus ad exponendas Thomae res plerique accesserint, accurato iudicio ab omni praeconcepto opinione atque affectu libero ad discernendum verum a falso, laudabile a corripiendo opus est.

BRUCKER A. 1766.

INDEX.

I.

Generalis de Thomae Aquinatis auctoritate deque operum et studiorum condicione praefatio.

Thomae Aquinatis opera et praecepta multi, pro sua quisque in religione sententia, in literis parte, in rebus politicis factione, aut laudibus praedicaverunt aut notis vituperaverunt. Atque in ipsorum Iudaeorum libris et literis versatur iste Thomas Aquinas, nonnullis operibus in linguam Hebraicam versis et a doctoribus Iudaicis saepius adhibitis[1]). Viri deinde clari et docti, qui inter evangelicos exstitere inde a saeculo decimo sexto, Thomam Aquinatem auctorem et patronum, radicem et florem totius doctrinae Romanae et catholicae esse sunt arbitrati, quo sublato ecclesiam Romanam subverti censebant[2]), Cuius rei causa fuit, quod primi reformatorum adversarii, monachi scil. ordinis sancti Dominici, Tetzel, Silvester Prierias, Thomas ille de Vio Caietanus, celeber Aquinatis commentator, cui munus et officium cum Luthero agendi mandatum erat, maxime ex more in scholis suis solito et inveterato, Thomistico scil., ut rebantur, sunt argumentati[3]). Quare mi-

[1]) Cf. Jellinek, Thomas in der jüdischen Litteratur. Leipzig 1853. Vide etiam Werner, Der h. Thomas v. A. tom. I p. 882 et 883. Primus recentissimi temporis de Aquinate in Germania scriptor fuit Judaeus Harry Hoertel: Thomas v. A. und seine Zeit; Augsburg 1846.

[2]) „Tolle Thomam et ecclesiam Romanam subverterem“ a Bucero editum esse affert Roger Bede Vaugham, the life and labours of S. Thomas of Aquin. Vol. II, chapter I.

[3]) Cf. „dialogum de potestate papae“ Silvestris Prieriatis apud Loescherum, Reformationsacta tom. II p. 12—39 et apud Schmidtium, M. Lutheri opera lat. Vol. I p. 344—378. In qualibet fere pagina provocat Silvester Aquinatem.

randum non est, Thomam ab illis et praecipue ab ipso Luthero nimia fere controversiarum vehementia esse oppugnatum[4]). Post primum autem certaminis ardorem, sicut iam ii, qui dicuntur reformationis praenuntii, plus minusve Thomae sententias suis accommodare fuerant conati[5]), ipsi reformationis propugnatores et defensores non illa, qua reformationis auctor, repudiatione reiecerunt, suaeque illum doctrinae, si minus vindicare, tamen favere eum probabant. Cuius rei, postquam iam Melanchthon Aquinatem „cordatioribus theologis“ adscripserat[6]), exstat singulare specimen Dorschei liber, qui inscriptus est: „Thomas Aquinas, confessor veritatis evangelicae Augustana confessione repetitae[7])“. Quem Dorscheum deinceps secuti ecclesiae evangelicae plerique philosophi et theologi usque ad hodiernum diem Aquinatem laudant, praedicant, admirantur, quippe qui pro suae aetatis condicione maxima sacris et profanis literis attulerit incrementa et opera conscripserit, non illa quidem omni modo probata et absoluta, lectione tamen et studio digna et utilissima. Hoc autem ipsum, qualem viri evangelici Thomam Aquinatem intellexerint et suae doctrinae conformaverint, etsi commentationis theologicae uberrima materia videtur esse, neque alius scriptor satis animadvertit aut inquisivit, et novissimus doctrinae Thomisticae eiusque historiae narrator miro modo neglexit[8]). Quod accuratius persequi cum sit longum,

Rationem suae artis Thomisticae reddidit latius fusiusque sua „replica ad D. M. Lutherum“ apud Schmidtium, vol. II, p. 68—106. — De Caietano et Luthero auctoritatem Thomae tractantibus vide Schmidt; opera lat. vol. II p. 370.

[4]) Cf. Responsio M. Lutheri ad dialogum Silvestri. Schmidt opp. lat. tom. II p. 6—67. Pag. 7 haec: „Tu . . . . nonnisi nuda verba ponis solas opiniones divi Thomae nunc demum decantas, qui aeque nudis verbis incedit, sine scriptura, sine patribus, sine canonibus, denique sine ullis rationibus.“

[5]) Cf. Herzog, Realencyclopaedie Band 16, p. 76 sub voce: Thomas Aquinas.

[6]) Cf. Concordia. Berolini 1857 p. 55, in apologia confessionis Augustanae.

[7]) Hic liber editus est Francofurti 1656 et dedicatus: „Illustrissimo Ioanni Axeli Oxenstiernae“; in praefatione leguntur: „sciscitabar . . . . Thomam habere hypotheses, quibus Lutheranorum dogmata defendi possent, Thomam debilius tractare causam eam, quae hodie pro infallibili veritate venditatur, et sic tacite confiteri, tutius in adversa parte stari posse . . . . .“

[8]) Wernerum, qui totam historiam theologiae et philosophiae Thomisticae scribere suscepit, hanc rem ne attigisse quidem placet eo minus, quod Suaresii Iesuitae, qui semper Thomam afferre solet, inter evangelicos auctoritatem indicat et commemorat; cf. eius „Suarez und die Scholastik der letzten Jahrhunderte“, p. 284 et 285.

ut quid in universum illi viri de Aquinate iudicaverint, intellegatur, consulendi sunt eorum de historia ecclesiae et civitatum, dogmatam et philosophiae, literarumque ceterarum libri. In quo numero evangelicorum scriptorum referuntur Cave[9]), Brucker[10]), Baur[11]), Dorner[12]), Gieseler[13]), Neander[14]), Ritschl[15]), Ritter[16]), Raumer[17]), Erdmann[18]), Ueberweg[19]), alii multi. Ex his autem, ut ex saeculo praeterito citetur iudex, Brucker: „Thomam“, inquit, „indictum praetermisit nemo, qui vel scriptores ecclesiasticos, vel historiam ecclesiae, vel acta et scriptores ordinis praedicatorum vel acta sanctorum vel historiam literariam universalem particularemque, nempe Neapolitanam exponere aggressus est[20])“. Et huius aetatis auctor Landerer „tamdiu ait, a viris evangelicis et literatis Thomam laudatum et praedicatum iri, quamdiu ingenua et integra cuiuscunque in literis insignis et praestantis viri admiratio non intermittat, etiamsi controversiarum non habeatur ratio[21])“. Attamen notatu dignum videtur, protestantium adhuc neminem Aquinatis opera, doctrinam, vitam speciali cura in librum conscripsisse, quod

[9]) Hist. literar. tom. II p. 306, Basileae 1745.

[10]) Historia crit. philos. tom. III, Lipsiae 1766.

[11]) Die christl. Kirche des Mittelalters, Tübingen 1861. passim.

[12]) Geschichte der protest. Theologie p. 35: „Man unterliess nicht, im Einzelnen die Kirchenlehre zu erläutern, näher zu definiren, und mit dem Geiste denkend zu vermitteln, wie besonders Thomas v. Aquin.

[13]) Lehrbuch der Kirchengesch. Zweit. Band, zweite Hälfte, Bonn 1848. multis locis.

[14]) Allgemeine Gesch. der chr. Religion und Kirche. Bd. II p. 606 ss.

[15]) D. chr. Lehre v. der Rechtfertigg. passim.

[16]) Gesch. d. Philos. 8. Theil 1845. p. 257—354.

[17]) Gesch. der Hohenstaufen. V et VI B. passim.

[18]) Grundr. d. Phil. 1866, I. Bd. p. 357—370.

[19]) Grundriss der Gesch. der Philos. der patristischen und scholastischen Zeit 1868. 3. Aufl. p. 189 sq.

[20]) Loco citato, tom. III p. 799.

[21]) Cf. Herzog, Realencyclopaedie, Band 16. p. 81: „Auch der Protestantismus wird, ganz abgesehen von dem polemischen Interesse, hinter dieser

cum aliunde satis superque, neque tamen sufficienter factum sit, ad integrum et incorruptum iudicium multum iuvare videtur.

Catholicorum vero, quae fuerit omnibus temporibus de Thoma Aquinate opinio praeclara, fama gloriosa, praedicatio praecipua, laus admirabilis, immortalis, divina[22]), quis potest brevi atque angusta occasione exponere? Quis enumerat agmen interpretum, nubem commentatorum, exercitum laudatorum? Quis perlegerit omnes in eum doctorum et indoctorum sermones panegyricos, quis cognoverit ordinum sacrorum societatumque applausum atque acclamationem, quis perpenderit episcoporum et cardinalium commendationem, quis indagaverit conciliorum generalium particulariumque verbis factisque consensum atque approbationem, quis denique pontificum summorum omnia perdidicerit iudicia honorificentissima? Quae qui voluerit persequi singula, adeat necesse est aliquam bibliothecam theologicam[23]), consulat indices bibliopolorum[24]), percurrat totam theologiae et philosophiae per sex saecula historiam. Ex tanta documentorum et testimoniorum copia, cum multa proferri nec liceat nec conducat, universitas Parisiensis, cuius fuit doctor et professor, praedicat Aquinatem „ecclesiae lumen, doctorum fontem, candelabrum insigne et lucens, per quod omnes, qui vias vitae et scholas sanae doctrinae ingrediuntur, lumen vident". Salmanticensis „iurat in verba sancti Thomae et Augustini". Lovaniensis „non solum pro aris et focis Thomae doctrinam defendit, sed etiam statuit, ut proferentes nomen divi Thomae nudato pronoque capite ipsum venerentur". Avenionensis „gloriabatur, se sequi doctrinam et philosophicam et theologicam divi Thomae". Patavina et Duacensis „elegerunt Thomam ut doctorem suum et patronum specialem[25]). Ex ordinibus deinde

(sc. der Katholiken) Theilnahme (sc. für Thomas) nicht zurückbleiben, als die unbefangene Bewunderung wissenschaftlicher Grösse in ihm nicht erlöschen wird."

[22]) Ipse semper fere appellatur: „Divus" Thomae Aquinas.

[23]) Exemplum insigne est bibliotheca civitatis Treverensis, quae congesta est ex multis monasteriorum oppressorum copiis librariis.

[24]) Cf.: A catalogue of Theological books by David Nutt, Theological bookseller. London 1857.

[25]) Haec testimonia et multa eiusmodi sunt collecta a Plassmanno in:

ecclesiasticis familiam sancti Dominici erga Aquinatem suum, doctorem angelicum, pietate et observantia vigere ac pollere in promptu est, ita ut ex decretis complurium pontificum nuperrime a Pio IX comprobatis, qui eorum ad gradum magisterii promoventur, praeter solitam „fidei confessionem" etiam „iuramentum de sectanda divi Thomae doctrina" praestent. Benedictinorum congregatio edidit decretum, „ut alumni sequantur doctrinam et philosophicam et theologicam divi Thomae". Augustinianorum Lateranensis et Gallicana canonicorum regularium speciali decreto ad tenendam divi Thomae doctrinam se adstrixerunt. Ipsi ex sancti Francisci regula monachi, etsi quasi ex quodam officio et nimia erga suum Scotum observantia Thomae adversabantur, tamen statuto sanxerunt, „ut debita reverentia exhiberetur opinionibus angelici doctoris". Iesuitae vero, ut ceteros omittamus, cum conditoris Ignatii constitutionibus adhaerere iubentur, tum statuto quintae congregationis generalis „Thomam tanquam proprium doctorem habere et sequi" tenentur[26]).

In conciliis autem generalibus exinde ab ipso Thomae excessu nihil fere magni actum, nihil definitum, nihil sancitum est sine huius in theologia, ut vocant, aquilae auctoritate aut suffragio, ut ita dicamus. Ipse vivens a Gregorio X, qui tunc erat papa, ad concilium generale Lugduni celebrandum, ut doctor aetatis clarissimus cum Graecis reconciliandis disputaret ageretque, arcessitus[27]), cum in itinere morte praematura esset defunctus, opere suo, quod ex mandato Urbani IV confecerat adversus Graecos, sessionibus tanquam spiritus regens interfuit[28]). Ut Viennense, Florentinum, Lateranense omittantur, Tridentini exstat id signum mirum iudiciumque honoris a catholicis Aquinati deferendi praestantissimum, quod in loco, in quem patres conveniebant, in publico nihil librorum erat propositum, nisi scriptura sacra, decreta pontificum,

Vorhallen zur Philos. gemäss der Schule des h. Thomas. I. Band der gesammten Philosophie. Soest 1860. p. 25 et 26.

[26]) Cf. Plassmann loc. cit. p. 26–28.

[27]) Cf. Hefele, Conciliengeschichte, VI. Band p. 115.

[28]) Hic liber nunc invenitur inter opuscula; editio Parmensis tom. XV, opusc. VI.

necnon summa theologica Thomae, ut ex his sana doctrina et salus orbi emanaret. Atque etiam quaedam eiusdem concilii sessio, patribus omnibus paratis et exspectantibus, cum in eo ipso esset, ut, Christum in ultima coena apostolos consecrasse ut ministros sacrificii, dogmate pangeretur, unus tamen doctor, speciem praebens Thomam sibi videri esse contrarium, affirmaret, statim est diremta, ut omnes, utrum Thomas revera contradiceret, reviderent relegerentque. Postridie demum omnibus Thomam non dissentire consentientibus decretum de illo dogmate factum atque editum est[29]). Praeterea quid id concilium Thomae attribuerit auctoritatis, inde intellegitur praecipue, quod textus decretorum multis locis ad verba Thomae convenit[30]). Vaticanum denique concilium quantopere nitatur in Aquinatis doctrina, etsi opera eius, id quod nonnulli patres postulasse dicuntur, non erant proposita, nemo nescit, qui eius doctoris doctrinam et huius concilii praeparationes, actiones, eventus comparare voluerit. In omnibus namque de Romani pontificis infallibilitate libellis versatur auctor hic noster, et mirabile dictu, iterum et ipsi Romanae sedis definitionisque adversarii, sicut prioribus temporibus praesertim a Dorscheo illo factum est, aeque ac defensores Thomam suam utrique sententiam tueri probabant[31]). In ipso autem concilio illi episcopi et patres,

[29]) Cf. Dorschei proëmium libr. cit. p. 1—5 et Plassmanni loc. cit. p. 20 et 21 et 22 et 23. Baronius: „Vix quisquam enarrare posset . . . . . quantum illius illabatae doctrinae a sanctis patribus in sacrosancto oecumenico concilio Tridentino considentibus fuerit acclamatum." apud Plassmannum l. c.

[30]) Cf. Plassmanni loc. cit. p. 22: „Wollte man alle Decrete im Conc. Trid. sammeln, welche mit dem Texte des h. Thomas wörtlich übereinstimmen, so würde eine solche Arbeit demjenigen einen überraschenden Anblick gewähren, der weiss, wie scharf ein Concil die Worte abzumessen versteht."

[31]) Cf. Andries, „Cathedra Romana", Mainz 1872. Eiusdem „Petra Romana", Regensburg 1869. — Raimundi Bianchi: „de constitutione monarchica ecclesiae". Romae 1870. — „Die oberste Lehrgewalt des römischen Bischofs". Trier 1870 p. 67 et 68. — Ex infallibilitatis definiendae advdrsariis P. A. Gratry imprimis Thomam a sua parte stare affirmavit; cf. eius: „Dritter Brief an Msgr. Deschamps", Uebersetzung von Fridolin Hoffmann, Münster 1870. — Sed editores libri, qui inscribitur Janus, ab initio iam certaminis Thomam huius doctrinae auctorem describunt. Vide „Janus oder Der Pabst und das Concil" Leipzig 1869, p. 286 ss.

qui maxime doctrinae „scholae", quae dicitur, fuerunt addicti, ut Hispani fere omnes, Belgarum Deschamps, archiepiscopus Mechliniensis, Germanorum Martin Paderbornensis exstiterunt diligentissimi dogmatis de infallibilitate summi pontificis condendi fautores, duces, propugnatores[32]).

Pontifices vero ipsi, quot et quales in Thomam honores cumulaverunt? Quinquaginta fere annis post mortem in sanctorum numerum relatus est a Johanne XXII[33]). In bullario ordinis sancti Dominici, cuius ultimus tomus anno 1740 Romae editus est, exhibentur triginta octo paparum iudicia insignia, quibus ad id tempus doctor angelicus celebratus fuerat[34]). Atque adeo laudes antistites Romanae ecclesiae auxerunt, ut Thomae doctrinam „ab omni erroris suspicione liberam", „veridicam", „certissimam ad veritatem viam", „clypeum impenetrabilem", "inconcussam, tutissimam, immo omnem laudem supergressam", „dogmata tutissima et inconcussa", „illam sectari et totis viribus ampliare" commendarent atque juberent[34]).

His paucis Thomae inter catholicos auctoritatis et dignitatis testibus consideratis nihil mirum, quod solita Thomae cognomina inveniuntur, „Divus et Angelicus doctor", „Princeps scholae", „Aquila theologiae", alia multa et insignia. Nihil etiam mirum, quod eius saecularia sacra, quae nonis Martiis hoc ipso anno erant, in toto orbe catholico praecipua observantia et speciali devotione sunt celebrata[35]).

[32]) Cf. Gesammelte Briefe v. Msgr. Deschamps, Autorisirte Uebersetzung Trier 1870. — De Martino vide: Der wahre Sinn der Vaticanischen Lehrentscheidung 1871; et in ipsis literis pastoralibus de die 19. Januar 1873 saepius Aquinatem provocat. Cf. Germania Nr. 34 Beilage 1873.

[33]) Canonisationis bulla legitur in bullario Romano, tom. IV p. 302 ss. — Cf. Bolland. Acta sanct. mens. Mart. ad diem VII.

[34]) Cf. bullarium ordinis praedicatorum tom. VIII Romae 1740. Tractatus de consensu bullarum, tit. VI, quaest. II: „Quaenam sint praecipua oracula, quibus summi pontifices doctrinam praeceptoris angelici celebrarunt." p. 279—291. Cf. insuper Plassmanni loc. cit.

[35]) Praeter honores, qui intra ecclesiarum aedes indulgentiis aliisque permissis sunt facti, de quibus consulatur: Der Katholik 1874, Heft 2 et 3 aliaque scripta et ephemerides, nonnulli libri sunt editi, quorum sunt praecipui: 1. Tommaso Maria Zigliara, della luce intellettuale e dell' ontologismo se-

At contra, ne desit integritas, doctor angelicus, sicut per sex saecula maiori catholicorum numero erat tanquam lapis lydius, ita ipsis catholicis saepius ac iterum causa factus est offensionis et difficultatum origo uberrima. Ipse puer adolescens de vita religiosa et spirituali instituenda cum matre, sororibus, fratribus contendit; iuvenis summos in theologia honores adepturi causa implicata fuit vehementibus illis litibus inter mendicantes ordines et universitatem Parisiensem coortis; ipse adversus Guilielmum de S. Amore, qui saecularium partes agebat ac tuebatur, superiorum ex mandato exstitit ordinum fortis defensor idoneusque propugnator[36]); vir denique inter suae aetatis homines non solum adversus Judaeos, Mohametanos aliosque, sed etiam adversus catholicos, scil. Graecos ecclesiae et curiae Romanae excellebat defensor ac patronus[37]). Defuncti vero, quot et quales exstitere tum theologiae et philosophiae ratione, tum de singulis rebus adversarii et vituperatores? In ipsa praedicatorum familia, praecipue in Anglia, initio nonnulli detrectabant illi[38]). Verisimile est, Stephanum, episcopum Parisiensem, cum anno 1277 ducentas viginti et duas propositiones condemnaret, nonnullas Thomae attigisse et reprehendisse[39]). Vituperati porro Thomae exstat specimen illud „correctorium operum fratris Thomae, quod iam anno 1284, decem tantum

condo la dottrina di S. Agostino, Bonaventura et Tommaso di Aquino, 2 Vol. — 2. Pio Alberto del Corona. I quattro cardini della felicità secondo S. Tommaso d'Aquino, Firenze. — 3. Vincenzo Marchese: delle Benemerenze di S. Tommaso d'Aquino verso le arti belle. Genova 1874. — 4. Marcolino Cicognani: sulla vita e sulle opere di S. Tommaso d'Aquino, quinto dottore della chiesa. — 5. Schaezler: Divus Thomas contra liberalismum invictus veritatis cattolicae assertor. Romae 1874.

[36]) Guilielmi de S. Amore liber „de periculis novissimorum temporum" et amicos et inimicos ordinum summopere excitaverat. Thomas coram pontifice et contra dixit et contra scripsit opuscula tria: Tom. XV opusc. I, II, III.

[37]) Tom. XV opusc. VI contra errores Graecorum, et tom. XVI opusc. II: contra Graecos, Armenos et Saracenos; et tom. V contra gentiles.

[38]) Cf. Werner I p. 860.

[39]) Cf. Jourdain, la philosophie de S. Thomas. Paris 1858, tom. II p. 147—151.

post eius mortem annos, editum est a Guilielmo Lamarensi[40]). Commemorari potest etiam illud Rogeri Baconis, viri tunc perdocti, de Thoma iudicium parum honorificum; „Vir erroneus et famosus[41])." Quem porro historiae peritum fugiebant ceterorum Franciscanorum omnium, qui Scotum suum sequebantur, et Dominicanorum, qui Thomam venerabantur, rixae in philosophia et simultates[42]). Cui non innotuit illa Dominicanorum et Jesuitarum de gratiae „promotione physica", quam Thomae doctrinam esse dicunt, et de „scientia media" celebris controversia, ex qua prodiit famosum illud Molinae opus „de concordia liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia et praedestinatione[43])." Nostro vero denique saeculo libri de theologicis et philosophicis rebus a catholicis conscripti denuo scatent et pollent controversiis et litibus, quibus alii cum de totius Scholasticorum, qui vocantur, docendi et discendi ratione, tum de istius Thomae propria doctrina reiicienda, alii de tenenda ac resuscitanda inter se decertant. Illorum auctores et scriptores clarissimi sunt Günther, Knoodt, Oischinger, Kuhn, Döllinger, alii in Germania multi, horum duces et fautores sunt Clemens, Schätzler, Kleudtgen ceteri[44]). Nec vero pontificibus Romanis ipsis, ut celebre illud dogma de immaculata beatae Mariae virginis conceptione edere retardarent, non videtur fuisse causa iste Thomas Aquinas, eo quod de hac re alia docuit, ac omnes fere deinceps doctores catholici praeter S. Dominici monachos sense-

[40]) Cf. Jourdain loc. cit. tom. II p. 60.

[41]) Cf. Emile Charles: Roger Bacon, Bordeaux 1861 p. 108. Vide etiam Onkenii: „Die Staatslehre des Aristoteles" p. 102 et aliis locis.

[42]) Cf. Werner, Der h. Thomas, Bd. III p. 1—149, et Jourdain, loc. cit. tom. II p. 55—109.

[43]) Cf. Werner, loc. cit. Bd. III, Geschichte des Thomismus, ubi p. 378—465 tota controversia exponitur. Editio prima libri Molinae, Lissabonae 1588.

[44]) De his et aliis consulas Werneri eiusdem: „Geschichte der kathol. Theologie seit dem Trienter Conzil." 1866. Priorum sententiam totam exprimit Döllinger ita: „Es wäre leicht, aus der Summa des h. Thomas eine Reihe von Sätzen auszuheben, welche mit strenger Logik bis in ihre letzten Consequenzen verfolgt und ausgebildet, zu verderblichen Irrthümern führen würden;" cf. Verhandlgen der Gelehrtenversammlg. zu München von 1867 p. 58. Cf. etiam J. B. Heinrich: Dogmat. Theologie, Mainz 1873, p. 125 ss.

runt, et tandem Pius IX, qui nunc est papa, dogma fide catholica credendum proposuit[45]). Quare quantumvis ab huius dogmatis definiendi parte adversa Thomam stetisse dicamus necesse sit, — quidquid de operibus corruptis et interpolatis circumfertur, fide caret probata[46]) — recentissimis rursus duodecim annis, postquam syllabo, qui dicitur, edito et concilio Vaticano inchoato lites illae antea in contemplatione philosophica et theologica speculatione positae ad publicam inter ecclesiam et civitatem rationem agendam vertebantur, ita ut non iam solum in libris et scholis, sed etiam in conciliis et actis diurnis et hominum ecclesiasticorum et politicorum dimicetur, idem hic noster auctor aliis videtur scriptor famosus viris politicis, ecclesiasticis aliis patronus gloriosus[47]).

Ex his autem de Thomae Aquinatis controversiis, sicut semper

---

[45]) Lutherus, cum anno 1518 responsionem suam Silvestri Prieriati haec: „Quod de facto ecclesiae non licet male sentire, unum id responde, cum qua ecclesia et tu et Thomastri tui sentitis in facto ecclesiae de conceptione beatae virginis? num cum virtuali? num cum repraesentativa? num cum essentiali? num cum exule illa et a te proscripta, quae est concilium generale? Si ergo licet tibi non modo non bene, sed contra sentire in facto ecclesiae, quia opinionem tenes nondum reprobatam, cur ego non permittor tibi dissenrire in opinione neque determinata, neque reprobata? (scil. de indulgentiis);" cf. Schmidtii vol. II opp. Luth. lat. p. 20 et. 21. — Ad haec Silvester; „Cum vero decisa res fuerit, sciam cum qua (scil. ecclesia), interim autem credam cum ducentis sexaginta sex doctoribus." Schmidt vol. II p. 77.

[46]) Multi Thomae discipuli recentes probaturi eum in hac causa non dissensisse a veritate nunc definita cum alia, tum id dixerunt, textum operum esse corruptum. Non intellegitur, cur nondum Dominicani textus critica arte et ratione ex manuscriptis et tabulariis suis emendaverint. In novissima adhuc editione Parmensi ubique apertis verbis legimus sententiam contrariam tom. XVI opusc. I p. 65 de sanctificatione matris Christi: „Oportuit siquidem, quod cum peccato originali conciperetur" et saepius. — Cf. Narcissi Puigi et Franc. Xarriae: opusculum de erroribus hodiernis. Barcinone 1865 p. 135 et 136.

[47]) Cf. v. Treitschke in „Preussische Jahrbücher" Bd. 27 p. 350 cf. etiam die Reden Heinrichs v. Sybel im Preussischen Abgeordneten-Hause am 6 und 8 Mai 1874, ubi de Thoma Aquinate digressionem copiosam facit. Treitschke loc. cit. haec habet: „Die Centrumsfraction darf sich nicht trennen von jener Staatslehre, die seit Augustin und Thomas von Aquin bis auf Bellarmin herab von allen politischen Denkern der alten Kirche gepredigt wurde."

in literariis causis accidit, praeter illos libros, qui doctrinam Thomisticam in ecclesia vigentem defendunt sive oppugnant, prodierunt satis multi alii, quibus quae in vita ab eo gesta sint, quae in literis habeat merita, quaeque doctrinae per sex saecula fuerint vicissitudines, disquiri coeptum est. Atque in Germania nostra hoc saeculo primus Carolus Ritter in historia philosophiae animos cum ad alios medii aevi doctores, tum ad hunc convertit[48]. Post eum Carolus Werner, nam utilissimum quemque et recentissimum afferri hic conducit et necesse est, — cum ceteri de Thoma scriptores deteriores alibi inveniri possint —, anno 1858 opus confecit tribus voluminibus consistens, satis magnum illud quidem, nec tamen omnia de vita, doctrina et historia doctrinae sunt integra et absoluta[49]. Paulo post Plassmann edidit tomos quinque de Thomae philosophia, qui cum multa in laudem Aquinatis in qualibet pagina habeant, frequentibus tamen contra aliorum philosophorum sententias digressionibus et satis exigua linguae dexteritate magnaque scriptionis asperitate paene „rabiem theologicam" temporum praeteritorum redoleant[50]. Alius quoque in Germania exstitit philosophus et scriptor, A. Stöckl, professor academiae Monasteriensis, qui in „historia philosophiae medii aevi" perplurimam diligentiam et maximam industriam in Thomae Aquinatis doctrina conscribenda collocavit[51]). Extra Germaniam Carolus Jourdain Francogallus quidam, certamine literario ab academia optimarum literarum Parisiensi anno 1853 instituto, duo confecit volumina,

---

[48]) Cf. eius Geschichte der Philos. 8. Theil 1845 p. 247—354. Cf. praefat. ad VII. partem eiusd. operis.

[49]) Opus iam a nobis citatum: „Der h. Thomas" habet in vol. I: Leben und Schriften; II Lehre, III Geschichte der Lehre. Landerer in Herzog's Bealencyclopaedie: „Werner hat gar zu viel Fleiss darauf verwandt, Todtengebeine umzuwenden."

[50]) Plassmann, qui fuit in seminario Paderbornensi philosophiae professor, Romae studiis Thomistico vacaverat. In libro suo ex Romanorum more haud laudabili nihil fere addidit, unde ea quae affert vel oppugnat, inveniantur. Tom. I Vorhallen; II Logik; III Psychologie; IV Moral; V Metaphysik. Soest. 1861 und 1862.

[51]) Gesch. d. Phil. des Mittelalters 2. Bd., Periode d. Scholastik, Thomas v. A. p. 421—734.

quibus fidem et veritatem operum doctoris angelici accurata et diligenti perfectione pervestigavit, res inde petitas apte disposuit, oratione recta, expedita, polita usus est, ita ut iuste ab academia illa praemio ornatus esse videatur. Cuius librum is, qui de philosophia — non valet de theologia, quam nimis praeteriit[52]) —, voluerit percipere notitiam, prospere et summa cum utilitate adhibebit. Novissimus ad hanc aetatem de Thoma accessit auctor quidam Anglicus, Roger Bede Vaughan, ordinis sancti Benedicti, qui itidem duobus magnis voluminibus fusius confusiusque laudatoris potius ac buccinatoris, quam scriptoris vere narrantis et arbitri sapientis partes egit[53]). De Marcolini Cicognani tandem opusculo, quod in honorem divi Thomae tempore saecularium sacrorum de vita et operibus eius composuit hoc ipso anno, quia omnino est exiguum neque ad condicionem studii Thomistici cognoscendam aptum, nihil amplius hoc loco dicimus[54]).

Editiones postremo operum Sancti Thomae omnium circumferuntur complures, e quibus illa, quae Romae 1570 prodiit, est usitatissima. Recens omnium operum eius collectio anno 1852 Parmae imprimi et edi coepta est, cuius tomi viginti quatuor formae maximae omnes nunc in lucem sunt editi. Quam cum editor nulla textus ratione critica ex aliis editionibus confecerit et aeque, ac ceterae sunt, erratis, mendis, corruptelis scatentem conservaverit, tamen commentationi huic adhiberi est necesse[55]).

[52]) Academia philosophiae tantum disquisitionem postulaverat. Cf. praefationem operis iam a nobis commemorati: „La philosophie de S. Thomas" 2 tom. Paris 1858 par Charles Jourdain.

[53]) The life and labours of S. Thomas of Aquin, 2 vol. London 1872.

[54]) Sulla vita e sulle opere di S. Tommaso d'Aquino. Venezia 1874. 105 paginae.

[55]) Sancti Thomae Aquinatis, doctoris angelici, ord. praed. opera omnia ad fidem optimarum (?) editionum accurate recognita. Parmae, tomi 24. 1852—1868. Ex typographeo Petri Fiaccadori.

II.
Historia Thomisticae de ecclesia et reipublica doctrina socialis.

Ex ingenti rerum theologicarum et philosophicarum copia, quam pertractavit Thomas Aquinas, mirum esse non potest, quod singuli singulas sibi selegerunt eius doctrinae partes, sive ut literis augerent approbarentque, sive ut reiicerent repudiarentque, sive ut depromerent tantum atque exponerent. Hoc studio conscripti sunt multi libri et praeteritis saeculis et hoc ipso nostro. Exempla ne desint, exposuerunt Liberatore Italus „Die Erkenntnisslehre des h. Thomas[1]);" A. Rietter, „Die Moral des h. Thomas[2]);" Aloysius Schmid, „Die Thomistische und Scotistische Gewissheitslehre[3]);" Delitsch, „Die Gotteslehre des h. Thomas[4]);" Leitner, „Der h. Thomas über das unfehlbare Lehramt des Pabstes[5])" et cetera.

Omnium autem rerum, de quibus Thomas disputavit, nulla tam diu et tam constanter, tamquam de industria paene neglecta esse videtur, quam ejus de ecclesia et republica doctrina socialis. Superiorum et recentiorum temporum auctores saepius utique laudavere et citavere Aquinatem in docendis rebus publicis, in philosophia iuris exponenda, in ecclesiasticis sive vindicationibus agendis, sive usurpationibus repellendis; attamen praeter iustam expectationem diutius, quam oportebat, Thomae de ecclesia et civitate deque socialibus quaestionibus doctrinae toti excerpendae conscribendae, disquirendae comparandae nemo operam navavit. Id a scriptoribus historiam rerum ecclesiasticarum civiliumque narrantibus omissum esse eo aegrius fertur, quo saepius eis occurrunt Thomae praecepta huc spectantia: id philologis ideo magis vitio verti potest, quo magis Thomas cum propter Aristotelis ceteros libros Latinis literis illustratos, tum propter politicos eius in veri et primi commentatoris modum explanatos expositosque, quos idem primus in theologia et philosophia adhibuit, est praedicandus; id theologis

[1]) Uebersetzt von E. Franz, Mainz 1861. [2]) München 1858. [3]) Dillingen 1859. [4]) Leipzig 1870. [5]) Freiburg 1872.

vero eo minus ignoscitur, quod, quamvis vehementissime de ceteris partibus doctrinae Thomisticae congressi, de hierarchiae super omnes principes principatu, de plenitudine potestatis ecclesiasticae et pontificiae, de haeresibus extirpandis, de origine dominii, de usuris deque multis aliis rebus socialibus omnes fere in unum consentientes Thomae sententias sequuntur. Sed si vera dici oportet, tantum abest, ut sit in promptu, quae sit omnis Aquinatis doctrina socialis, qua arte ac ratione composita et conformata, unde hausta atque deducta sit, qua porro praestantia excellat et unde deficiat, ut nemo fere operum huc spectantium condicionem criticam aut satis sciat, aut si quis forte cognoverit, bene adhibeat, aut si adhibuerit, illam, qua opus est, animi ac iudicii, artis ac rationis dexteritatem praebere ac declarare videatur.

Atque inter rerum gestarum scriptores primus Johannes Sleidanus in enarranda historia reformationis mentionem facit istius Thomae Aquinatis; is enim recte cognoverat, quantum Lutheri adversarii in illius doctrina fuissent innisi ob eamque causam quandam Thomisticae de pontifice — nihil amplius — doctrinae brevem descriptionem operi suo inseruit[6]) „Thomas, inquit, ... fuit ordinis Dominicani, discipulus Alberti Magni. Mortuum Johannes XXII pontifex retulit in numerum divorum, quinquagesimo circiter anno, postquam e vita decesserat. Pontificiam dignitatem mirifice propugnavit, nam et principatum in omnes episcopos et universam ecclesiam atque reges, et iuris dictionem tam civilem quam sacram ei tribuit, et ad salutem esse necessarium, ut omnes ei subsint, eumque plenam habere in ecclesia potestatem, et ipsius esse congregare concilium, et in eo facta decreta confirmare, quin etiam a synodis ad ipsum recte dicit appellari. Breviter nihil ei non adscribit, hoc solum adimit, quod nova dogmata fidei, vel, ut vocant, articulos condere non possit, nec etiam eos abolere, qui sunt nobis per apostolorum manus atque patrum relicti. De indulgentiis quoque passim multa scripsit in iisque largiendis pontificem plane regem constituit. . . .“ Post Sleidanum alii quoque, qui sive medii aevi descripserunt res civiles et ecclesiasticas, sive reformationis sive revolutionis, quae dicitur,

[6]) De statu religionis et reipublicae Carolo V imperatore commentarii. Francoforti 1585, editio delineata a Boehmio p. 30 ss.

saeculo praeterlapso magnae, nonnulla ex Thomae opinionibus attingere consueverunt. Atque Ranke affert quaedam de indulgentiis[7]), Pohlenz de iure principibus resistendi deque rerum publicarum generibus[8]), alii reformationis narratores de aliis rebus. Ex ipsius autem medii aevi historiam describentibus auctoribus Raumer[9]) satisfecit diligentiam postulanti et exspectanti, rebus contra et Thomae ipsi non respondet; nam huic quoque, id quod Pohlenzio, accidit, ut et de scriptis Thomae et de praeceptis vitia et menda admitteret. Lorenz vero maxime vituperatur, quod saepius ad Thomae doctrinam delatus, cum libris idoneis cognitis aut certe citatis veritas facilior, quam ceteris, esset sciscitatu, nusquam accurate agit, sed vera falsa Thomae promiscue itidem attribuit[10]). Ecclesiasticarum deinde rerum scriptorum in Germania unus Neander quaedam, scil. de monasteriis et sacris ordinibus ex Thomae operibus proposuit[11]), exterorum unus Rohrbacher pluribus verbis, quam ceteri historiae sacrae et profanae scriptores, nec tamen maiore cum utilitate, quam alii Germani, quos nominavimus[12]). Thomae enim doctrina socialis, rerum publicarum formis et generibus solis descriptis non bene depingitur, nisi fundamenta quaedam philosophica, theologica, historica assumuntur. Theologorum deinde et philosophorum, qui sive de iure naturali sive positivo, sive de ecclesiae reique publicae institutione exinde a Lutheri temporibus exstiterunt, permulti praecepta, quae ferebantur Thomistica aut

[7]) Deutsche Geschichte im Zeitalter der Reformation. 4. Auflage 1. Bd. p. 207 et 209.

[8]) Geschichte des französischen Calvinismus, 3. Bd. p. 124 ss.

[9]) Geschichte der Hohenstaufen, vol. VI p. 420, tribuit Thomae opus subditicium „de eruditione principum“. Cf. Bd. III p. 191, 314; Bd. IV, 188; Bd. V, 68, 265; VI 190, 228, 351 etc.

[10]) Deutsche Geschichte im 13. Jahrhundert Bd. I p. 18. Sitzungsberichte der k. k. Academie der Wissenschaften; Wien 1859/60, philos. hist. Abtheilg. p. 472 ss. in: „Ueber Ottokar II von Böhmen“. — Eiusdem Deutschlands Geschichtsquellen p. 305 et 306 Anmerk., ubi propius ad rem literariam opusculi „de regimine principum“ accedit, de qua postea videbimus.

[11]) Cf. Neander, Allgem. Gesch. der christl. Religion und Kirche, II. Bd. p. 484—489. Tamen nihil affert, quam historiam controversiae inter mendicantes et universitatem Parisiensem exortae.

[12]) Rohrbacher, histoire universelle de l'église catholique. Lyon 1872. tome VIII p. 116 et 118.

defenderunt, aut inquirere, diluere, reiicere studuerunt. Quod cur ita factum sit, natura et indole discidii de religione tunc facti intellegitur. Neque vero praeter opinionem ex his controversiis profecta est ulla cohaerens de Aquinatis doctrina sociali commentatio; solae hic illic inveniuntur in tractatibus theologicis, philosophicis, polemicis sparsae adnotationes, quibus sententia haec, qua Thomae ecclesiasticam et politicam doctrinam non solum indulgentiarum ratione cum reformationis temporibus et historia arctissime coniunctam esse dicimus, satis comprobatur.

Controversiis autem auctis viri docti sensim coacti, ut critica quadam ratione et literaria arte inquirerent, librorum Thomae et condicionem et placita attigerunt. Iam Bellarminus opusculum illud „de regimine principum" ratione rerum, quae inessent, voluit esse subditicium[13]). Spedalieri quidam clericus Siculus, quo tempore quilibet fere principia, quae anno 1789 populis proponebantur, salutem societati humanae conservandae liberandaeque afferre opinabatur, totam hanc doctrinam apud Thomam, ut eius laudem augeret, se invenire gloriabatur[14]). Sanseverino ius principum absolutum a Thoma propositum esse contra dicit[15]). Stahl, quales intellexerit legum jurisque radices et divisiones Aquinas, attingit[16]); Robertus Mohl perstringit nomen[17]), nihil tamen omnino boni habet remque ipsam literariam confundit. Optimam tandem principiorum politicorum, quae usque exstat, descriptionem ducimus eis contineri, quae Prantl proposuit[18]), magis etiam in illis, quae Walter attulit[19]). Nec non Schoen[20]), Foerster[21]), Lintz[22]), Rossbach[23]), Kaltenborn[24]), Schmauss[25]), Schreiber[26]), alii ex occasione Thomae sententias attingunt vel exponere student, pari autem fortuna ac ceteri, qui non accuratam operum Thomisticorum notitiam perceperunt. Philosophiam porro universalem narrantibus omnibus, praeter unum Erdmannum et Stoecklium id accidit, ut hanc partem doctrinae Thomisticae praeterirent. Eorum autem, qui speciali cura Thomae doctrinam totam exponere volebant, ut iam satis ex dictis intellegitur, superioribus saeculis omnes res sociales neglexerunt, recentiorum solus Werner socialem de ecclesia et civitate doctrinam attigit modo[27]); unus Jourdain operam in ea collocavit diligentiorem, sed quia philosophica tantum fundamenta, theologicis nimis postpositis, leviorem disputandi rationem secutus disquisivit, praeterquam quod condicionem criticam operum Thomisticorum ab aliis superioribus iam cognitam, ut ita dicam, literis restituit et in revolvendis operibus satis diligenti cum accuratione est versatus, non omnino a vituperatione est immunis[28]). De quaestionibus mere politicis, quae a Thoma sunt disputatae, optime prae ceteris, quem iam nominavimus, Marcolino Cicognani scribit[29]), et quamvis in hac quoque parte libelli sui honorem Aquinatis tueatur augeatque, tamen multa cum rerum operumque notitia et accuratione agit, praeterquam quod „perturbationem iniusti regiminis" non bene secundum Thomae sententiam exponit[30]).

Quoniam autem praecipua nostra aetatis vis in rebus publicis, civilibus, socialibus, ecclesiasticis consistere videtur, fieri non po-

[13]) De script. eccles. sub voce Thomas Aquinas, observ. II.

[14]) Eius librum non vidimus, sed cognovimus sententiam ex Sanseverini libro et ex Onclairi: de la révolution et de la restauration. Bruxelles 1872. tom. I p. 351. Spedalieri scripsit: De diritti dell' uomo. Assisi 1791.

[15]) La dottrina di S. Tommaso sull' origine del potere e sul preteso diritto de resistenza. Napoli 1853.

[16]) Rechtsphilosophie I. Bd. p. 51 ss. 2. Auflage.

[17]) Literatur der Staatswissensch. I. Bd. p. 224 ff.

[18]) In Bluntschli's Staatslexicon 8. Bd. Scholastik.

[19]) Naturrecht und Politik. p. 522 ss. et p. 540 ss.

[20]) De literatura politica medii aevi. 1839.

[21]) Die Staatslehre des Mittelalters in „Allgem. M. Schrift" 1853.

[22]) Entwurf einer Gesch. der Rechtsph. 1846 p. 14—20.

[23]) D. Perioden der Rechtsphil. 1842 p. 66 et passim.

[24]) Die Vorläufer des Hugo Grotius. 1848 p. 42 ss.

[25]) Schmaussii librum rarissimum non vidimus. Qui multam operam in Thomae operibus excerpendis collocasse videtur; cf. Kaltenborn p. 43, Anmerkg. Schmauss scripsit: „Systema des Rechts der Natur." Göttingen 1754.

[26]) Die polit. und religiösen Doctrinen unter Ludwig dem Bayern; Landshut 1858.

[27]) Der h. Thomas Bd. I p. 793 ss. Bd. II p. 461 ss.

[28]) La philosophie de S. Thomas tom. I p. 395 ss. tom. II p. 450 ss.

[29]) Sulla vita e sulle opere di S. Tommaso, Venezia 1874 p. 40 ss.

[30]) Miro modo praeteriit verba huc spectantia, quae leguntur Tom. III p. 161 s. t. 2. 29. 42, art. 2 ad. 3; „Et ideo perturbatio huius (sc. tyrannici) regiminis non habet rationem seditionis . . ."

tuit, quin controversiis et mere politicis, mere ecclesiasticis et inter ecclesiam civitatesque mixtis Thomae quoque praecepta ad illas spectantia describerentur. Primus igitur nostrae memoriae Sanseverino Italus composuit libellum, quo etsi in „theologiae aquilae“ doctrina tradenda et explicanda in theologorum modum agi oportuit, iustam tamen legem non tenuit, etiamsi non reprehenditur, quod solum de origine saecularis potestatis et de caede tyranni, perverse insuper et falso, disputavit[31]). Post eum Feuguerai Francogallus theologia non omnino neglecta, sed minus spectata, libellum edidit, quo, si necessitas historiae vel consulendae vel illustrandae, criticae operum praeceptorumque condicionis animadvertendae, rei literariae de Thomae praeceptis socialibus cognoscendae non consideratur, describentis munus cum laude subiit, nisi quod commentationis instituendae rationem nimis neglexit[32]), id quod ea parte, quae inscribitur „res diversae“ satis comprobatur[33]). In nostra denique Germania exstitere duo de Aquinatis praeceptis politicis et oeconomicis scriptores. Quorum alter Henricus Contzen primum nonnulla ex Thomae operibus collecta in opusculum redegit „de Thomae Aquinatis sententiis ad oeconomiam politicam pertinentibus“[34]). Quod antea perbreve et inutile idem cum postea denuo tractaret, melius disposuit, correxit, auxit; sed ne ita quidem, quia iterum subditicia adscripsit opuscula adhibuitque, multa laude dignus est[35]). Neque etiam alia eiusdem commentatio, quae inscribitur: „Zur Würdigung des Mittelalters mit besondrer Beziehung auf die Staatslehre des h. Thomas von Aquino“[36]), homi-

[31]) La dottrina di S. Tommaso sull' origine del potere e sul preteso diritto di resistenza, Napoli 1853.

[32]) Feuguerai, essai sur les doctrines politiques de S. Thomas d'Aquin: Paris 1857; 197 paginae.

[33]) Loc. cit. p. 177: „Vues diverses.“

[34]) Basileae 1861. 22 paginae.

[35]) Thomas v. Aquin als volkswirthschaftlicher Schriftsteller; Leipzig 1861. Quod opusculum denuo rescriptum omnibus exemplaribus venditis inseruit in: Christlich-sociale Blätter, Jahrgang 1870 No. 10 p. 130 ss: „Die nationalöconomischen Grundsätze des h. Thomas v. Aquin.“ Cf. eiusdem Geschichte der Nationalöconomie; 1873.

[36]) Cassel 1870; 28 paginae.

nibus literatis quidquam profecit, nisi laudem Thomae et confusam exilemque nonnullarum sententiarum collationem. Postremo ante sex fere menses alius in Germania auctor, Baumann, philosophiae professor Goettingensis de Thomae politica doctrina edidit librum, quem inscripsit: „Die Staatslehre des h. Thomas von Aquin, des grössten Philosophen und Theologen der katholischen Kirche; ein Beitrag zur Frage zwischen Staat und Kirche“[37]). Qui cum Sanseverini, Feuguerai, Jourdaini, Contzenii ipsius Germani lucubrationes non adhiberet et in universum scriptorum haec attingentium nimis modicam ostenderet notitiam, ipse quoque sicut ceteri, uno Jourdaino excepto, vera Thomae scripta a falsis non satis segregaret, nihil maius fere nobis effecisse videtur, quam alii: historiam praeteriit, origines neglexit, vim totam doctrinae Thomisticae pervertit[38]). Praeterea cum solum exterum excerpendi ordinem servaret, qualem series et occasio operum Thomae subministrabat, omnem disponendi effingendique rationem et conscribendi artem reliquit[39]). Ceterum etsi Jourdaini et Feugueraii menda non evitata auxit quodammodo, tamen cum revolvendae editionis Parmensis et vertendi excerpendique maiore diligentia ad Thomae praecepta politica addiscenda faciliorem, quam Contzen, aditum patefecerit, ea saltem laude dignus est, ut primum eum literis prosperius animos hominum in Germania doctorum in hanc doctrinae Thomisticae partem et rei convertisse dicamus[40]). Schäzlerum

[37]) Leipzig 1873. 203 paginae.

[38]) Pag. 5. Einleitg: „In dieser (näml. der thomistischen Staatslehre) muss sich die eigentliche katholisch kirchliche Staatsansicht verkörpert finden.“ Ad haec quodam modo et iure fortasse cum Luthero responderi potest: „Graviter estis reprehendendi, qui sancti huius viri opiniones et saepius falsas meditationes nobis pro articulis fidei audetis statuere;“ apud Schmidtium op. lat. tom. II p. 23.

[39]) Vom Fürstenregiment — p. 95: Erste Ergänzungen über die Behandlg. der Juden — p. 101: Zweite Ergänzg. aus dem Commentar zur Politik des Aristoteles — p. 165 etc.

[40]) Cf. ea, quae de eius libro recensentur in: „Augsburg. Allgem. Zeitg.“ vom 2. Januar 1874 No. 2. et „Zeitschrift: Im neuen Reich“ 1874, p. 72. Contzenium ad manifestandam Thomae famam non suffecisse id comprobat, quod Baumann neque eius, neque aliorum de politica Thomistica segregata scriptorum mentionem facit.

tandem expectaveramus meliora et plura de sociali Thomae doctrina esse allaturum, sed libro cognito, non multam laudem ei tribuere possumus, quod propius accessit ad partes panegyricas et nimis polemicas[41]), sicut theologum Romae degentem decebat fere his temporibus, neque satis ecclesiam civitatemque ut instituta publica et socialia ex Thomae sententia pertractavit[42]), leviterque tantum nonnulla, quae ad mutuam legum ecclesiasticarum et civilium rationem spectant. Friedbergum denique, quin accusemus, facere non possumus, quod in commentatione, quam „de finium inter ecclesiam et civitatem regundorum iudicio, quid medii aevi doctores statuerint", conscripsit, Aquinatis parum habet rationis, cum ceteros deteriores et inferiores multoties commemoret. Nonnullis enim tantum locis verba Thomae affert[43]. An non Thomas est patronus et princeps eius theologiae, adversus quam Luther haec scribit: „Et hanc gratiam debemus scholasticae vestrae theologiae, quod commune bonum ecclesiae (potestatem clavium) non ministerium multorum, sed dominium feceritis paucorum, tyrannidem ethnicam, non servitutem Christianum spectantes"[44]).

Haec omnia de historia et literaria politicae, ecclesiasticae, socialis doctrinae Thomisticae condicione dicenda esse arbitrati, ne, si qui ante nos boni quid attulissent, omitteremus, atque ut evitaremus, si perversi quid admisissent, conspicatique, quid melius uberius clarius exponi necesse esse videretur, vera medii aevi recentiorisque cognoscendi incrementa et institutorum socialium praeceptorumque rationes intellegeremus, id saltem effecimus, ut nec nobis aut aliis speciem praebeamus inventoris primi, — id quod alii simulasse vel credidisse videntur[45]), — neque de gravi-

41) Divus Thomas contra liberalismum invictus veritatis catholicae assertor. — De doctrina S. Thomae ad exstirpandos huius aetatis errores vi et efficacia commentarius in sexto centenario angelici praeceptoris scripsit Const. Schäzler. Romae 1874.

42) Cf. p. 6—9, p. 19—26, p. 78—97.

43) Cf. De finium inter ecclesiam et civitatem regundorum iudicio p. 36.

44) Apud Schmidtium opp. lat. II, 24 responsio ad dial. F. Silv. Prieriatis.

45) Baumann et Contzen neque Jourdainum neque Feugueraium cognoverunt vel citaverunt; semper speciem sibi assumunt quasi primi per se inventores. Revera unus Feuguerai primus per se totam politicam conscri-

tate aut difficultatibus provinciae de Thoma litterariae aut de operis suscepti laboribus levitate quadam animi decipiamur. Quod si aliis, qui ante de his rebus scribentes peccaverunt, quod maiores obstant difficultates, libentissime condonatur venia, eo maior nobis diligentia, cura, cautio est adhibenda, ne huic quoque commentationi illabantur menda aut inserantur errores. Principia autem omnium errorum — singula errata vitiaque locis suis quantum iuvabit, adnotabuntur — omnino videntur esse duo; quorum alterum in nimis ignorata condicione operum Thomae propria et critica, alterum in doctrina, paene diximus, philosophica de ecclesia eiusque institutis nimis neglecta invenitur. Prior igitur nobis incumbit cura diligens, ut omnia illa, quae de operum huc spectantium condicione disputata ac scripta sunt, perscrutemur[46]); altera deinde instat necessitas, ut intellegentes, Thomae doctrinam omnino non posse percipi aut describi, si nostrae et recentis de civilibus rebus dicendi et docendi leges, fines, praecepta sola adhibita fuerint, fundamenta eius institutionis socialis, cui medii aevi doctores et gentes, si minus verbis expressis, tamen rebus factisque „supremitatem" summumque omnium rerum iudicium committere consueverant, magis quam ceteri, depromeremus. Qua in re cum difficile sit, theologiae terminos non attingere, id instituimus, ut innumerabiles locos ex sacra scriptura petitos praetereamus, philosophica potius vestigia et rationes auctorisque praecepta et placita ex aliis scriptoribus desumpta sequamur, itaque ad hodiernam institutiones publicas describendi artem cognoscendique rationem accedamus.

Rei autem perficiendae, si licet dicere, difficultates et impedimenta cognoscuntur, si tot taliumque operum pervestigandorum opera reputatur, raritas librorum huc spectantium consideratur, siccitas atque ieiunitas auctoris, alienus sermo, abhorrens tractandi

bere suscepit. Cf. Baumann: „Die Staatslehre des h. Thomas" p. 7, 9 et 10, ubi sibi animo fingit, quomodo excerptiones et versiones suae coaequales homines affecturae sint.

46) Quod quam fuerit necessarium, ex Baumanni exemplo colliges imprimis, qui sexaginta fere paginas absque dubio praetermisisset, si veram commentarii ad politicos Aristotelis libros condicionem cognovisset.

ratio et modus a nostrarum literarum urbanitate recedens perpenditur. Quem laborem operosum, ut primitiis literarum faciendis susciperemus, summa auctoris apud omnes sive auctoritas, sive fama sive invidia, permagna adhuc de ipsis scriptis praesertim in Germania confusio, tanta in diiudicanda et adhibenda Thomae doctrina differentia infirmitasque, nec non peroptima historiae, philosophiae, theologiae, quae medio aevo vigebant, addiscendae ratio, utilitasque, quam opera in hoc studio collocata ad tempora praeterita et praesentia cognoscenda et intellegenda allatura esse videbatur[47]), animum induxerunt.

III.

De scriptis Thomae ad socialem doctrinam pertinentibus instituitur disquisitio.

Accurate igitur, quid Thomas Aquinas de sociali hominum convictu, de republica, de ecclesia docuerit, descripturi est eas indicare operum partes, quibus praecepta ea continentur. Id eo maiore cura fiat necesse est, quo maiore securitate et noxia nec impunita, ut videtur, inertia superiores adhuc, qui de politica Thomae scripserunt, auctores hanc quaestionem non moliti praeterierunt, aut moliti non absolverunt.

Atque ex magno Thomae operum numero huc spectant multae quaestiones, quas vocavit Thomas, quae tractantur in illis duabus summis, theologica scil. et philosophica, quae plurimum ad famam et gloriam doctoris angelici conferunt. Maxime ex his iuvabunt illi tractatus, quibus de fine hominis, de virtutibus, de legibus, de iustitia et iure agitur. Imprimis id notandum hic videtur, quaestiones de legibus, quae contineant praecepta, quoque modo sint conformata, adhuc a nullo, quantum videmus, esse pervestigatas diligentius, id quod et laudatoribus illis multis, magis etiam detrectatoribus vitio verti potest; namque in hac ipsa legum doctrina

[47]) A Sybelio praeceptore suadente, cum Bonnae studiis vacabamus anno 1870.

Aquinatis rationem conscribendi opportunius faciliusque, quam aliunde perspici, reprehendi, dilui censemus. Accuratius postea disseremus. Praeter partes autem commemoratas etiam multos alios ex summis locos adhibebimus. Neque commentarii debent neglegi, quos Thomas confecit. Numerus eorum satis magnus exsistit. Ac si illos, quos ad plurimas sacrae scripturae partes reliquit, praeterire licet, pracipue inspiciendi sunt illi, quibus Petri Lombardi quattuor libros sententiarum et Aristotelis libros ethicos et politicos explanare atque exponere studuit. Consulenda deinde et adhibenda sunt nonnulla opuscula, in quo numero praecipue referuntur illud, quod inscribitur „de regimine principum", aliud „de regimine Judaeorum", „contra impugnantes dei cultum et religionem" etc. etc.

De his singulis autem multa oportet addi, ut quae sit eorum condicio, quaeque adhibendi facultas, cur alia praetermittantur, possit cognosci.

I. De summis.

Unicuique Romanae ecclesiae res moresque perscrutato arcta divinarum humanarumque rerum coniunctio occurrit, quae omnibus temporibus conflictionis cum rerum publicarum principibus vel gubernatoribus esse solet causa ecclesiasticis antistitibus. Quae non inde solum intellegitur, quod ecclesiae antistitibus magna superbia et regnandi cupiditas attribuitur, quae quidem ad lites augendas multum adferre potest; sed propria causa invenitur in ipsius fidei catholicae fundamentis praeceptisque, quibus fideles omnes huius vitae res eventusque, cuncta negotia institutaque ad supremum et ultimum finem unum, qui supra hanc vitam et extra hanc terram proponitur, certo et determinato modo iubentur referre[1]). Unde cum tantum absit, ut catholica religio a rebus publicis abstineat, ut natura sua omnem orbem terrarum, universum genus humanum, cunctas aetates disciplinae praeceptis ad doctrinae dogmata circum-

[1]) Opera omnia, editio Parmensis, tom. VI comment. in II lib. sentent. p. 754 dist. 41: Utrum fides habeat universaliter dirigere intentionem? „Illius est dirigere, cuius est ostendere, quo eundum est. Sed hoc facit fides."

scribere institutisque componere nitatur[2]), ad intentionem nostram theologica Aquinatis opera imprimis sunt perscrutanda, etiam si non consideratur, totam doctrinam politicam ab eo nihil aliud censeri, nisi partem scientiae moralis. „Nec solum in spiritualibus, sed etiam in usu corporalium hominem dirigit (scil. religio christiana), et beatitudinem animae et corporis repromittit. Et ideo regulae eius universales dicuntur, utpote totam vitam hominis et omne, quod ad ipsum quolibet modo pertinet, et continentes et ordinantes[3]).“ Itaque quamvis a nostra et hodierna literarum urbanitate recedat, et imprimis ab hodiernae scientiae politicae ratione abhorreat, simul cum creatione hominis tradenda dominii humani tractare radicem, vel de legibus scribere uno eodemque tenore, quo gratia dei, quam vocant theologi „supernaturalem“, exponitur, aliaque huiusmodi multa; tamen omnes illi, qui Thomae Aquinatis politicam sive leviter perstringebant, sive diligentius persequebantur, praetermissis theologicis operibus, neque intentioni suae, neque ipsi auctori, neque iustae hominum doctorum satisfaciunt exspectationi[4]).

Quam operam satis utique molestam nimis non navarunt Schön, Förster, Lorenz, Stahl, Contzen, ipse Stöckl et etiam Jourdain. Laudari quodammodo possunt Walter, Feuguerai, Baumann, qui multam ex occasione rerum tractandarum operam in summas, maxime theologicam consumpserunt, sed rem nequaquam absolverunt.

Plura de summis Aquinatis, si quis voluerit addiscere, ad maiores remittimus eum commentationes, quae leguntur in operibus iam commemoratis Jourdaini[5]), Werneri[6]) et in nondum citatis Bernhardi Mariae de Rubeis dissertationibus[7]) et in Echardi et

[2]) Tom. XVII p. 366 ss. in libr. Boëtii de trinitate expos. quaest. 3. „De his, quae pertinent ad cognitionem fidei.“

[3]) Ibid. p. 369.

[4]) Roscher vere iam idem animadvertit de rebus oeconomicis, quae non raro apud medii aevi doctores tractantur una cum sacramento poenitentiae.

[5]) La phil. de S. Thomas I. p. 114–130.

[6]) Der h. Thomas I p. 801 – 845. Vaughan non multa ad condicionem operum affert addiscendum. Optimus horum videtur nobis Jourdain.

[7]) Eius de Thomae scriptis dissertationes sunt adiunctae ex opportunitate singulis tomis editionis Parmensis. Tom. V, VII, X, XII, XIII, XIV, XV, XVI. Ad summam theologicam spectat supplementum tom. IV.

Quetifi libro, quem hi de scriptoribus ordinis praedicatorum ediderunt[8]). Ibi omnia, quae de critica textus et genuitate ad hanc aetatem disputata sunt, possunt inveniri.

2. De Commentariis.

Commentarios et ad sacros et ad profanos libros multos confecit Thomas Aquinas. Quae autem de sacris libris commentatus est, ab hac commentatione, qua rationes Thomae potius quam locos sacrae scripturae exhibitum iri promisimus, nimis abesse procul et pauciora inveniri apparet, quam ut multa inde percipi conducat. Uberiora vero sunt iam illa ad quattuor Petri Lombardi sententiarum libros commenta, quorum adhuc nemo de sociali doctrina Thomae acturus mentionem facit, usus tamen maxime de ecclesia, de obedientia, de dominii origine, de tyranni interficiendi quaestione aliisque de rebus valde utilis et pernecessarius est. Imprimis vero hos commentarios ideo adeundos esse dicimus, quod ibi solum doctrinae de hierarchia deque clavium potestate fundamenta rationesque leguntur, quam quomodo acceperit Thomas, si quid aliud, ad hunc libellum necesse est exponere[9]).

Maximi vero deinde momenti est consideratio ea, qua, quid valeant in rem nostram commentationes a Thoma in Aristotelis libros confectae, inquiritur. Atque cum in Germania recentiores, quemadmodum Thomas de Aristotele sit meritus, nihil curaverint, neque ullam accuratius inspiciendi operam dederint, hic maxime oportet explanari, quae vera de Thomae commentandi arte et ratione et de commentariorum textu statui potuerint.

Primum autem de Thomae Aristotelicos libros in Latinum sermonem vertendi cura et opera dicendum est. Quam alii Plassmann, Ritter omiserunt, alii Michelis, Stöckl, Baumann sive

[8]) Script. ord. Praedicat. Paris 1719 et 1721, vol. II.

[9]) Thomas enim non confecit totam summam theologicam, sed primam tantum partem et secundam et maiorem partem tertiae. Quamobrem si sacramentorum doctrinam quaesiverimus integram et imprimis sacerdotii potestatem, ad commenta illius haec ad Lombardum conscripta deferimur.

non satis, sive minus vere, sive omnino perperam intellexerunt. Unus Iourdain maior[10]) et magis etiam minor[11]) hanc rem ita absolverunt, ut omni ex parte fere laudandi evaserint. Constat igitur, Thomam fuisse auctorem, ut Guilielmus de Moerbeka novam faceret translationem scriptorum Aristotelicorum. Priorum enim versionum usus, quae in occidente circumferebantur, cum ad Arabes et auctores et commentatores spectarent eamque ob causam fidei noxiae periculosaeque viderentur, anathematibus ecclesiasticis fuerat prohibitus[12]). Facile igitur intellegitur, Thomam, quamvis illa timeret observaretque, summopere veram et sinceram et licitam translationem operum eius philosophi desiderasse, quem etsi Arabes et Iudaei in suam sententiam trahebant, Alberto magno duce sapientiae patronum et philosophum singularem arbitrabatur. Quam ob causam Guilielmus de Thoco, qui primus vitam Aquinatis scripsit, expressis verbis „Librorum, inquit, etiam super philosophiam naturalem et moralem et super metaphysicam, quorum librorum procuravit, quod nova fieret translatio, quae sententiae Aristotelis continet clarius veritatem[13])“. Et revera usitatae ab Aquinate versiones omnes factae sunt ad ipsos textus Graecos; id demonstratur magno numero verborum de Graeca lingua transsumptorum, quae in quolibet commentario reperiuntur[14]). Maius

---

[10]) Aimable Jourdain, Recherches sur l'âge et l'origine des traductions d'Aristote. Paris 1818. Uebersetzt von Stahr, Halle 1831.

[11]) Charles Jourdain, „la phil. de S. Thomas“. Paris 1858. Onken, „Die Staatslehre des Aristoteles“ miro modo hos duos auctores unum esse opinatur confunditque patrem cum filio; p. 70. Anm. 1.

[12]) Anno 1209 in concilio Parisiensi; anno 1215 a Roberto, legato pontificis; anno 1231 a Gregorio IX papa. Cf. Werner I p. 74 ss. Stöckl, Gesch. der Philos. d. Mittelalt. II Bd. Einleitg. p. 9, Anmerkg.

[13]) Acta SS. Martii.: tom. I p. 655 vita S. Thomae.

[14]) Hoc loco fieri non potest, utrum Thomas linguam Graecam didicerit, quin attingatur. Plurimi negant et ipse Jourdain tom. I, p. 82. Sed haec sententia nobis non satis videtur spectata esse. Vituperat enim Thomas interpretem quendam magnopere, tom. V p. 238 in opusc. 6: „Multa, quae bene sonant in lingua Graeca, in Latina fortassis non bene sonant. Dicitur enim apud Graecos recte et catholice, quod pater et filius et spiritus sanctus sunt tres hypostases; apud Latinos autem non recte sonat, si quis dicat, quod sunt tres substantiae, licet hypostasis sit idem apud Graecos, quod substantia

autem testimonium eius rei affertur, quod nomina philosophorum ex Aristotelis scriptis commemorata, quae ab Arabibus et Iudaeis et ceteris eo usque mutilata et mutata fuerant, ut nulla vera aut integra cognosci potuerint, a Thoma ad veram formam originisque integritatem sunt restituta atque restaurata. Accedit quod Thomas multos locos ratione critica et comparatione lectionum variarum et nominato Graeco textu tractavit. Postremo testimonium affertur hoc: „Guilielmus de Brabantia, ordinis praedicatorum, transtulit omnes libros Aristotelis de Graeco in Latinum, verbum ex verbo, qua translatione scholares adhuc hodierna die utuntur in scholis, ad instantiam domini Thomae de Aquino[15])“.

Sed haec non amplius prosequi volumus. Praeter merita

---

apud Latinos secundum proprietatem vocabuli . . . . . Nec est dubium, quin etiam simile sit in aliis multis. Unde ad officium boni translatoris pertinet, ut ea, quae sunt catholicae fidei, transferens servet sententiam, mutet autem modum loquendi secundum proprietatem linguae, in quam transfert Cf. ibid. p. 258.“ Ad haec comparaveris exempla velimus tom. II p. 200 in s. th. 1, 2 q. 58 art. I „Et hac quidem duae significationes (sc. moris) in nullo distinguuntur apud Latinos quantum ad vocem, in Graeco autem distinguuntur. Nam ethos, quod apud nos morem significat, quandoque habet primam longam, et scribitur per »η«, Graecam literam; quandoque habet primam correptam et scribitur per »ε«.“ Alio loco tom. IX p. 531 Quodl. V art. 7 haec leguntur: „Ex ignorantia linguae Graecae provenit, quod communiter apud multos aevum ab aeternitate distingueretur, ac si distingueretur anthropos ab homine; quod enim in Graeco dicitur aevum, in Latino aeternitas.“ Alio loco, tom. XV. p. 213 in opusc. 15 contra Averroistas ipse Thomas Graecos librorum textus se consuluisse affirmat. „Huius modi autem quaestiones certissime colligi potest Aristotelem solvisse in his libris . . . . ., quos etiam libros vidimus, licet nondum translatos in linguam nostram.“ Ceteris linguae Graecae vestigiis assumptis dicendum erit, mirum esse maximopere, si Thomas Aquinas tantum temporis spatium in vero Aristotele interpretando versatus omnino nihil peritiae Graeci sermonis acquisivisset. Quodsi non perfectam notitiam Graecae linguae attribuimus, quod puer certe non addidicerat, attamen iuvenem et virum ex occasione controversiarum literariarum in illa percipienda occupatum fuisse arbitramur.

[15]) Hic locus a Jourdaino et maiore et minore ita affertur et legitur in „incerti auctoris chronica Slavica“ apud Lindenbrogium: Script. rer. Germ. ed. Fabric. Hamb. 1706 p. 206. Nos invenimus quandam differentiam „ad instantiam sancti Thomae de Aquino doctoris“. Dominus nostra quidem memoria Thomas numquam appellatur.

autem, quae consistunt in laude et cura Aristotelis ex ipso Graeco in latinum sermonem versi[16]), Thomas hic admirationem eorum habere debet, qui Aristotelis vere et integre accipiendi intellegendique rationem considerant. Is enim primus omnium medii aevi doctorum hanc viam reliquit, qua superiores commentatores fuerant delapsi eo, ut Aristotelis verbis suas sententias et opiniones immiscerent. Quorum cum sua quisque placita et dogmata ex Aristotele vel invenisset vel intulisset, iste Thomas novam et sanam rationem instituit, ita ut proprius et verus, qualem nostra quidem aetate homines philologi accipiunt, commentator evaserit. Eam ob causam iam Ptolemaeus a Lucca, intellegens Thomae et superiorum differentiam interpretandi, „Isto autem tempore Frater Thomas, inquit, tenens studium Romae, quasi totam philosophiam Aristotelis sive naturalem sive moralem exposuit et in scriptum sive compendium redegit, sed praecipue ethicam et metaphysicam quodam singulari et novo modo tradendi[17])." Novitas autem in eo ipso consistit, quod suam auctor sententiam nec quaesivit nec intulit, sed quid valerent Aristotelis verba, investigavit. Eam ob causam adhibuit Thomas accuratissimam suam textus Aristotelici dispositionem, cuius nos fortasse nunc post tot in philologia progressus taedet, cuius vero in primo discrimine de Aristotelis verborum sententia coorto summa fuit utilitas ac necessitas. Consentaneum autem et verum nobis videtur, opera Thomae et cura illam a Gregorio IX papa promissam[18]) purgationem et examinationem de-

[16]) De huius versionis praestantia Petrus Victorinus, unus ex eis, qui dicuntur patres textus Aristotelis critice tractandi haec dicit: cf. Onken p. 72 Anm. 2: „qui sane rudis quidem et expers omnis politioris doctrinae manifesto fuit, negotium tamen hoc cum fide administravit. Quare cum barbaram illam translationem in manibus haberem, Graecum codicem videre ac voces eius sermonis audire mihi videbar. Nam ne verborum quidem ordinem variat ac singula verba exprimit saepeque etiam Graecis ipsis utitur, cum aut vim eorum non perciperet, aut quomodo uno verbo reddi possent non videret."

[17]) Hist. eccl. lib. XXII cap. 24. Muratori XI p. 1153.

[18]) Bullarium Romanum tom. III p. 457, in bulla data Idibus Apr. 1231 pro bono regimine universitatis studii generalis Parisiensis haec verba invenimus: „Ad haec iubemus, ut magistri artium . . . . libris illis naturalibus, qui in concilio provinciali ex certa causa prohibiti fuere, Parisiis non utantur, quousque examinati fuerint et ab omni errorum suspicione purgati."

mum esse factam. Albertus enim magnus, etsi ipse eandem purgandi et examinandi speciem prae se ferebat, tamen tantum „fratribus ordinis . . . . rogantibus[19])" aggressus est Aristotelicum munus et revera nihil ad examinationem vel purgationem philologam aut quamcumque aliam attribuit, sed aeque res confudit, cum ipse dicat: „Erit autem modus noster in hoc opere Aristotelis ordinem et sententiam sequi et dicere ad explanationem eius, quaecumque necessaria esse videbantur, ita tamen quod textus eius nulla fiat mentio. Et praeter hoc digressiones faciemus declarantes dubia subeuntia et supplentes quaecumque minus dicta in sententia philosophi obscuritatem quibusdam attulerunt[20])" . . . Thomae vero ab ipso pontifice cura illos libros purgandi commissa esse videtur, postquam ab eo (scil. Urbano IV) anno 1261 Parisiis in Italiam arcessitus est. „Isto autem tempore (Urbani IV) Fr. Thomas studium tenens Romae, quasi totam philosophiam Aristotelis, sive naturalem sive moralem exposuit et in scriptum redegit, sed praecipue ethicam et metaphysicam quodam singulari et novo modo tradendi[21])". Et primus viam plane philologam sicut ostendimus, et unusquisque intelleget, dummodo voluerit inspicere accuratius commentarios Aristotelicos, patefecit. Qua in re tunc, ut in initio literarum renascentium, difficillima et impeditissima, iste Thomas, cum philosophum ex ipsius verbis intellecturus veros textus acquisivisset, lectionisque varietates comparavisset, novam translationem fieri iussisset, maximam partem illius admirationis sibi vindicare posse nobis videtur, quam Ritter edit, cum dicat: „Zur Beschämung späterer Jahrhunderte, welche auf die Scholastiker mit Stolz herabsahen, wird

[19]) Cf. Prologum ad physic. lib. I tract. 1 apud Jourdain-Stahr p. 285: „Intentio nostra in scientia naturali est satisfacere pro nostra possibilitate fratribus ordinis nostri rogantibus . . . . , ut talem librum de physicis eis componeremus, in quo et scientiam naturalem perfectam haberent, et ex quo libros Aristotelis competenter intellegere possent."

[20]) Jourdain-Stahr p. 285 citata ex eodem prologo.

[21]) Haec verba leguntur in illo ipso capite, quo Ptolemaeus Lucensis Thomae opera Romae inde ab anno 1261 confecta enumerat, quorum numero haec praeposuit: „Tunc frater Thomas rediit de Parisiis ex certis causis et ad petitionem Urbani multa fecit et scripsit etc.", sequuntur cum alia tum verba supra citata.

man gestehn müssen, dass im 13. Jahrhundert die Aristotelische Philosophie zwar nicht ohne Vorurtheile, aber doch besser erkannt wurde, als noch in unserm Jahrhundert[22])". Immerito igitur et sine causa Michelis[23]) eandem Aristotelis adhibendi et intellegendi rationem attribuit, quam Alberto magno, qui quidem plerumque Arabum versiones rationemque adhibuerat. Immo Iourdain ille maior vere et bene differentiam in commentando, qua Thomas discipulus Albertum praeceptorem superat, cognovit, cum de Alberto dicat[24]): „Ein zweiter Aristoteles wollte er wie sein Vorbild den ganzen Kreis der menschlichen Erkenntniss durchwandern, nicht als blosser Copist, sondern um die verschiedenen Ansichten der Philosophie durch Vergleichung mit einander zu erläutern, und aus dem Schatze eigener Erfahrung und geistiger Kraft das Wahre vom Falschen auszuscheiden". De Thoma vero dicit: „Er wollte nicht, wie sein Lehrer, Werk für Werk des Aristoteles unter gleichem Titel nachbilden, sondern ihn im eigentlichen Sinne des Worts commentiren. .... Er begnügte sich keineswegs damit, die zu seiner Zeit gangbaren Uebersetzungen wohl oder übel zu erklären, vielmehr sah er, dass, bevor man den Gedanken des Aristoteles auslegen wolle, man vorerst über das richtige Verständniss seiner Werke im Klaren sein müsse. Daher geht er auf den buchstäblichen Sinn des Textes ein, vergleicht die Uebersetzungen mit einander, oder vielmehr mit dem Varianten, welche er sich durch Vergleichung des griechischen Originals mit der lateinischen Uebersetzung verschafft hatte[25])".

Postquam igitur haec, ut tandem ea notitia redintegraretur, summatim saltem attigimus, quae propiora de Thomae commentariis ad ethicos et maxime politicos libros Aristotelis ad hunc libellum spectantibus, ut videtur, sit in promptu, necesse est exponere. Atque de eis valde reprehenduntur ceteri, qui adhuc de Thomae politica scripserunt; plurimi, quod his commentariis plus tribuunt auctoritatis, quam habent; ita peccaverunt Sanseverino, Feuguerai et praesertim Baumann; alii vituperantur, quod omnino

[22]) Geschichte der Philosophie 8. Theil 1845, p. 187.
[23]) Verhandlungen des Kölner Altkath. Congresses p. 38—45.
[24]) Uebersetzung von Stahr p. 285. [25]) Jourdain-Stahr p. 356.

illos praetereunt; unus omnium Iourdain minor ea laude ornatur, quod veram commentariorum ad libros Aristotelis politicos condicionem literis restituit[26]), quam cum diligentes illi et spectati Thomae operum iudices primi, Echard et Quétif iam exploravissent[27]), cum ceterorum tum ipsius Iourdaini maioris, Onkenii[28]), Baumanni oblivio vel inscitia obruerat. Horum autem iudicum primorum opera plane constat, Thomam auctorem fuisse commentariorum ad Aristotelis libros et ethicos et politicos; sed politicos, ut omnes interpretaretur, ei non contigisse, sive quod mors immatura, sive aliorum operum studia negotiaque impedivissent; imperfectos deinde commentarios a Petro Alvernate esse exceptos et absolutos; quod circumferantur nomine Thomae ad omnes politicos Aristotelis libros commentarii, factum esse neglegentia et studio eorum, qui nihil antiquius haberent, quam ut Thomae laudem et gloriam quocunque modo augerent.

Quod si quaeritur, quantam commentariorum ad politicos Aristotelis libros partem confecerit, Quétif et Iourdain quattuor priores libros totos Aquinati attribuere videntur „propter auctoritatem tot testium, qui constanter asserunt, sanctum Thomam in quattuor priores libros scripsisse." Sed nos non intellegimus, cur neuter horum distincte et aperte ex iis, quae affert Quétif, disceptaverit, id quod colligi necesse esse nobis videtur. Postquam enim Quetif opinionem eorum, qui commentarios ad omnes Aristotelis libros politicos tribuunt Thomae, refellit, citat „codicem insignem n. 4752" in regia, sec. XIII vel XIV, et de eo refert ita: „In codice regio supra citato 4752 bonae notae commentarius solus in primum et secundum et in tertium ad finem lectionis VI tantum sancto doctori adscribitur. Unde ibi sic legitur: „„Explicit sententia libri politicorum"". Cetera vero ad finem libri octavi, quamvis eadem sint, quae

[26]) Charles Jourdain, la phil. de S. Thomas I p. 88—90.
[27]) Echard et Quetif, scriptores ordinis praedicatorum, Paris 1719 et 1721. 2 tomi.
[28]) Die Staatslehre des Aristoteles p. 70 ss. de commentariis his tractat ut Thomisticis omnibus. Arbitramur „scriptori politicae Aristotelicae" iure quodam hoc peccatum vitio verti posse, magis etiam, quam quod Jourdainum maiorem et minorem confuderit.

sub nomine sancti Thomae exhibentur in editis, non illi, sed Petro de Alvernia exhibentur. Sic enim habetur ad calcem: „„Expliciunt scripta super libros politicorum, edita a magistro Petro de Alvernia[29])““. Praeterea legitur apud Quetifum critica quaedam consideratio, quam Theophilus Cremonensis in prologo super libros Physicorum sancti doctoris, quos edidit Venetiis 1471, proposuit: „Erunt haec, inquit Theophilus, divi doctoris in Aristotelis libros commentaria, quae a me diligentius plurimis simul exemplaribus collatis emendata. . . . : In decem libros ethicorum; in duos solummodo politicorum cum maiore parte tertii. Hos namque solos repperi divum doctorem accuratissime commentasse, licet nonnulli asserant, ipsum in omnes politicorum libros commentaria edidisse. Sed si sic volunt, referant obsecro, unde tanta obrepsit commentariis diversitas post dimidiati tertii libri commentationem. Commentatio itaque illa non divo doctori, sed doctissimo viro Petro Alvernati, ordinis praedicatorum[30]), qui in suis commentariis pro posse divum doctorem secutus est, adscribenda est[31])“ . . . Ex his autem duabus rebus, cum „propter auctoritatem tot testium, qui constanter asserunt, sanctum Thomam in quattuor priores libros scripsisse, peritiorum ordinis virorum diligentiori disquisitioni et arbitrio id totum“ reliquerit Quetif, neque ipse Iourdain minor satis perspexerit aut reputaverit secum[33]) illa, quae exhibuimus, verba Quetifi, certe colligimus nos „contra auctoritatem“ eorum Thomae nostro commentationem tantum in primum et secundum et in tertium ad finem lectionis VI[34]) iuste vereque posse adscribi.

Quid igitur de ceterorum omnium commentariorum ad politicos libros usu dicemus? Feuguerai auctoritate Iourdaini maioris ductus nihil de imperfectis commentariis movet, neque Vaughan, neque

29) Echard et Quetif: Scriptores ord. praed. tom. I p. 286 s.

30) Petrus de Alvernia non fuit ordinis praedicatorum, sicut Quetif postea Theophili sententiam correxit.

31) Echard et Quetif, ibidem.

32) Ibidem. Haec quam exspectavit Quetif, peritiorum ordinis virorum diligentior disquisitio et arbitrium nunquam factum, vel saltem nunquam in publicum editum est.

33) La philos. de S. Thomas p. 89.

34) Ed. Parm. tom. 21 p. 364 – 366.

Werner, qui Quetifum saepius laudat, de hac autem re non legisse videtur, quia omnes commentarios Thomae attribuit. Magis etiam reprehendimus auctorem novae editionis Parmensis, qui cum de ceteris operum Thomae quaestionibus criticis dissertationes Bernardi Mariae de Rubeis singulis tomis adiecisset, de commentariis nihil curavit, nisi ut formulis typographicis temerarie textum repeteret[35]). Bernardus enim Maria de Rubeis nihil de commentariis disputavit. Cur vero tandem Quetifi dubitationem omiserit editor Parmensis, fere non probamus, nisi forte ignoravit. Inde Baumanno quoque accidit, ut notitiam commentariorum solum ex Wernero et editione Parmensi sumens, quoniam iusto minus in operibus de Thoma scriptis volutatus librum suum inchoavit et confecit[36]) omnia, quae in commentariis illis insunt, Thomae propria acciperet, excerperet, libello suo immisceret. Quodsi revera omnia illa, quae Thomas ipse commentatus est de libris politicis, ad libellum Baumanni et provinciam pertinerent — id quod negamus, — tamen maxima pars eorum, quae Baumann in libello suo p. 107—166 ex commentariis politicorum Aristotelis librorum assumpsit, propter causas a nobis allatas debuit omitti, magnaque commentarios hos excerpendi et vertendi opera melius potuit consumi ad ceteras operum partes. Nam quod de tota Thomistica Aristotelis interpretandi ratione, idem de commentariis his politicis valet, solas scil. Aristotelis sententias opinionesque quaeri, ipsius Thomae placita neque inseri de industria neque integras ibi inveniri posse[37]). Quae igitur Thomas ex Aristotele didicerit et quasi propria et vera acceperit adhibueritque, minime ex commentariis colligi licet, nec opus est, cum qualem Aristotelem intellexerit Aquinas, ceteris operibus optime declaretur. Non igitur decet nos, quod Baumann commisit, languida, contorta, falsa ratione argumentatos eo pervenire, ut ipsas textus interpretationes tanquam Thomae proprias peculiaresve sententias per ignorationem condicionis criticae accipiamus, acceptasque sive laudemus sive reiiciamus.

35) Tom. XVIII – XXI.

36) Neque Jourdainos, neque Feugueraium neque Quetifum adhibet, quod quidem debuit.

37) Cf. ea, quae supra de ratione Thomistica interpretandi dicta sunt.

Quae igitur Baumann de necessitate et opportunitate commentarios adhibendi conscripsit, satis levia et imbecilla sunt: omnium insuper etiam locorum, quos suam sententiam probantes inducit, duo tantum in vera et genuina parte commentariorum inveniuntur. Quibus duobus autem locis nihil aliud probatur, nisi Thomae commentationem in textus verba non omnino quadrare. Sed afferantur ipsius Baumanni verba: „Von solchen Umerklärungen führe ich beispielsweise das Folgende an: S. 423 bezeichnet der Text, der Thomas vorlag, es als ein Uebel, wenn viele von den Reichen arm würden; es sei kaum vermeidlich, dass solche nicht auf Umsturz der bestehenden Verhältnisse ausgingen. Thomas dagegen sagt dafür, dass solche Leute Banditen, Räuber würden (efficerentur latrones). S. 441 hat der Text, der Gesetzgeber auf Creta habe zur Vermeidung der Uebervölkerung den geschlechtlichen Umgang mit Männern begünstigt; Thomas macht daraus den schändlichen (turpem) Geschlechtsumgang mit Männern[38])." Cetera, quae Baumann habet exempla, in vera commentariorum parte non leguntur. Nihil amplius de horum exemplorum vi dicendum esse censemus, quippe quae ne ceteris quidem Baumanni sententiis de critica commentariorum condicione acceptis admissisque, quidquam ad istam efficerent sententiam probandam, qua „Eine derartige, inquit, den Schriftsteller bloss historisch-grammatisch auslegende Erklärung ist garnicht im Sinne des Mittelalters[39])." De ceteris medii aevi interpretibus id dici iure nos quoque arbitramur, de Thomae autem ratione plane philologa, quam ab ipso primo esse institutam, quamquam pro initio literarum renascentium minus perfectam ostendimus, illa Baumanni verba vera esse non concedimus.

Si quis vero nihilo minus vestigia Thomae propriarum opinionum in ipsis commentariis voluerit persequi, id quod operae pretium esse nobis non videtur, in universum, ii loci erunt consulendi, quibus praemittit Thomas haec verba „Manifestum est, sciendum est, considerandum est" similia, vel ad quos explanandos utitur exemplis et locis ex sacra scriptura petitis[40]).

[38]) Cf. p. 104.

[39]) Cf. p. 103.

[40]) Tom. XXI p. 369 et 371.

Postremo autem, quomodo Thomas praeter novam commentandi rationem de politica Aristotelis doctrina sit meritus, inde intellegimus, quod is omnium primus, quae probaret in ea, in theologicis philosophicisque libris suis adhibuit. Quod quam vere dictum sit, demonstrant omnes ante Thomam auctores et Arabes et Judaei et Christiani[41]): neque enim doctus ille Johannes Sarisberiensis[42]), neque Abelardus, neque Vincentius Bellovacensis[43]), neque Roger Baco[44]) politicos Aristotelis libros cognoverunt aut consuluerunt aut adhibuerunt. Quod Albertum magnum, Thomae praeceptorem attinet, cum in ceteris Aristotelis libris imitandis multum versatus ante Thomam esset, tamen uterque Jourdain aliique viri docti post Aquinatem demum commenta ad politicos libros Albertina conscripta illisque Thomae versionem novam et rationem interpretandi Thomisticam adhibitas esse consentiunt[45]). Tunc vero etiam ea laude Thomam excellere invenimus, quod is primus politicorum Aristotelis librorum praecepta ad theologica sua et philosophica opera transsumpsit et adhibuit. Quodsi iure quodam fortasse Onken[46]) queritur, versionem illam, quam Guilielmus ille de Moerbeka fecerat rogatus a Thoma, cum nimis ordinem fidemque verborum Graecorum servasset, parvum Aristotelicorum numerum non excessisse, neque lectitatam esse multum, contra dicimus auctoritate et usu, quem Thomas in summa theologica, ad eruditionem „incipientium" non solum „provectorum[47])" composita ceterisque

[41]) Cf. Jourdain-Stahr passim.

[42]) Cf. Schaarschmidt, Joh. v. Salesbury.

[43]) Cf. Schlosser, Vincenz v. Beauvais p. 250.

[44]) Cf. Charles, Roger Bacon p. 253.

[45]) Cf. Jourdain-Stahr p. 326. Onken p. 70. Jourdain minor p. 92.

[46]) Onken, Die Staatslehre des Aristoteles p. 72. Baumann, Vorwort p. X consentit summam theologicam et commentarios statim latissime pervulgatos esse.

[47]) Cf. Tom. I in prooemio summae theologicae: „Quia catholicae veritatis doctor non solum provectos debet instruere, sed ad eum pertinet etiam incipientes audire, propositum nostrae intentionis in hoc opere est ea, quae ad christianam religionem pertinent, eo modo tradere, secundum quod congruit ad ruditionem incipientium. — Locos invenies frequentissimos, quibus adhibentur Aristotelis libri ethici et politici; tom. II q 95 art. 1. tom. III de iustitia q. 58 ss. etc.

in scriptis exhibuisset, Aristotelis doctrinam politicam pervulgatam esse in omnibus scholis christianis et theologicis. Immo, quid versio illa effecerit, ex celebri Marsilii Patavini opere, qui inscriptus est „defensor pacis,“ potest colligi, qui quidem liber de republica totus fere ex Aristotele est conflatus[48]).

3. De opusculis.

Copia opusculorum, quae nomine doctoris angelici pervulgabantur, temporum decursu aucta est ad nonaginta, quorum pars dimidia circiter aut omnino est subditicia, aut saltem summopere dubia et incerta[49]). Atque etiam numerus eorum, quae genuina opuscula ad Thomam de ecclesia et republica disserentem spectare iudicantur, a singulis usquedum de eius doctrina sociali scriptoribus variatur, modo latioribus terminis productus, modo angustiore notitia coarctatus. Cuius tamen rei non mediocrem curam et diligentiam declarant Feuguerai, Jourdain, Baumann, ita ut saltem at contra nulla opuscula falsa admittant; ipsi nonnulla alia, quae ad rem nobis videntur pertinere, praetereunt silentio. Sufficere autem liquet ea enumerare, quae subditicia esse constet, quod ideo non omnino est superfluum, quia alii satis recentes scriptores,

[48]) Apud Goldastium: Monarchia sacri imperii, Francofurti 1618. — Satis miramur, quod Onken, qui cetera politicae Aristotelicae vestigia accurate secutus est, Marsilii librum praeteriit. Cuius si habuisset rationem, non scripsisset haec: „So hat denn auch der kräftige Anlauf, den der Geist mittelalterlicher Gelehrsamkeit im 13. Jahrhundert zu einer Art Renaissance vor der Renaissance nehmen zu wollen schien, für die Verbreitung der Politik des Aristoteles keine Frucht gehabt, die sich auch nur von Weitem mit dem überraschenden Aufschwung des Ansehns der übrigen Schriften desselben vergleichen liesse.“ Vide „Die Staatslehre des Aristoteles“ p. 74. De vi autem et praestantia Marsilii Patavini cf. Emil Friedberg: „Die mittelalterlichen Lehren über das Verhältniss von Kirche und Staat, Augustinus Triumphus — Marsilius von Padua“ in Doves Zeitschrift für Kirchenrecht VIII. Bd. 1869, p. 69 ss.

[49]) In ed. Parm. replent sex tomos: XV, XVI, XVII, XXII, XXIII, XXVI. De veris et falsis vide Werner Bd. p. 876 ss. et Jourdain 1. I p. 130 ss. Summa vero cum utilitate scripserunt Quétif et Echard et Bernardus Maria de Rubeis, ex quibus illi, quae bona habent, transsumpserunt.

Raumer[50]), Funk[51]), Mohl, Bluntschli ceteri ea adhuc nuncupant quasi veras Thomae ducubrationes. Illa igitur, quae arte critica omnino reiiciuntur, haec sunt: 1) „De emptione et venditione“, op. 60 in tom. XVII, p. 337 s.; 2) „de eruditione principum“, opusc. 37 in tom. XVI, p. 390 ss.; 3) „de usuris in communi“ in tom. XVII, opusc. 66, p. 413 ss.

Vera deinde Thomae opuscula a Feugueraio, a Jourdaino, a Baumanno ad exponenda politica praecepta partim sunt adhibita, alia pars ab his quoque praetermissa est. Arbitramur autem nos quidem haec quinque ad rem nostram pertinere: 1) „Contra impugnantes dei cultum et religionem“, tom. XV, opusc. I.; 2) „De perfectione vitae spiritualis“, ibidem opusc. 2; 3) „Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu“; ibid. opusc. 3; 4) „De regimine principum ad regem Cypri“, tom. XVI, opusc. 16; 5) „De regimine Judaeorum“, ibid. opusc. 17. Priores tres libellos, quos Thomas confecit illis litibus inter universitatem Parisiensem et ordines mendicantes coortis, superiorum auctoritate defensionis causa iussus, ceteri immerito neglexerunt; tum eam ob causam consuli eos oportet, quam supra de theologiae et politicae apud doctores catholicos ordine ac ratione attulimus, tum quia illis libellis continentur, quae Thomas de religione capessenda, de docendi et discendi libertate, de ipsos veteres scriptores et profanos legendi facultate deque aliis rebus docuit. Neque quemquam merito vel iuste gloriari posse censemus, qui ad rationem inter ecclesiam et civitatem intercedentem[52]) quaedam ex Thoma conscribens has quaestiones omnes omiserit. Quas disputari quam sit necesse, nostris temporibus nemo negare potest, ob eamque causam eas in omnibus libris laudabilibus et, qui ad socialem statum hominum spectant, invenimus tractari[53]). Accedit alia utilitas, qua

[50]) Gesch. der Hohenstaufen VI p. 418.

[51]) Zins und Wucher, 1868. p. 4, p. 78 etc. etc. Cf. eiusdem „Ueber die nationalökon. Anschauungen der mittelalt. Theologie“ in der Zeitschrift für die gesammten Staatswissenschaften 1869.

[52]) Baumann appellat libellum suum: „Ein Beitrag zur Frage zwischen Staat u. Kirche.“

[53]) Cf. Zeller's Vorlesungen über „Staat und Kirche.“ §. 16. Die geistlichen Orden. — Laurent, l'église et l'état, multis locis. — Onclair, de la revolution et de la restauration des vrais principes etc.

quisque ex illa lectione optime ad certamina tunc literaria cognoscenda adiuvatur, et, quae fuerit utrisque pugnandi ratio, docetur. Atque etiam ideo haec opuscula memoratu et notatu digna sunt, quod prodierunt ex iis controversiis, quibus primum inde a monachorum origine ab hominibus literatis iisdemque theologis consuetudo et ipsa veritas paene vitae monachorum tentata est[54]).

Aliud porro opusculum, quod inscribitur „de regimine Judaeorum", est epistola responsoria, quam doctor angelicus, sententiam de vectigalibus a Judaeis exigendis deque similibus rebus rogatus, ad „ducissam" Brabantiae, vel ut alii de Thoma scriptores legunt, ad „comitissam" Brabantiae misit[55]). Quae etsi satis exigua et ad causas conscientiae dubiae exponendas determinandasque est composita, tamen ad politicam rem spectat et iure a Baumanno est adhibita[56]).

Maximi vero momenti est illud „de regimine principum" opusculum decimum sextum, tom. XVI. Huius condicio critica similis se habet ac commentariorum ad politicos Aristotelis libros, multo tamen est dignior, quae commemoretur et accurate inspiciatur, quod ex hoc opusculo solo plerique Thomae doctrinam politicam deduci putaverunt. Hos igitur quattuor libros „de regimine principum" Schoen[57]), Foerster[58]), Lorenz[59]), Kautz alii,

[54]) Cf. Gieseler, Kirchengeschichte II, 2 p. 338 ss. Neander.

[55]) Cf. Echard et Quétif, Script. ord. praed. I p. 337. Bernardus Maria de Rubeis in dissert. IV, tom. XVI p. 566 ed. Parm: „Una, inquit, est dissonantia in comitissa Flandriae, ut Ptolemaeus habet, et ducissa Brabantiae, ut habent alii, quam etiam exhibent codices mss. Ptolemaeo Lucensi adhaerendum sane. Flandriae comitatum, post obitum Joannae, soror eius Margareta administravit ab anno circiter 1245 ad annum 1279. Historiarum scriptores consule. Cur ergo irrepserit „ducissa Brabantiae?" Nempe Guilielmo marito suo secundo Margareta comitissa Flandriae genuit Guidonem, qui successit. Filiam hic habuit Margaretam anno 1273 nuptam Joanni I, duci Brabantiae. Hinc alteram pro priore fortasse accepere Margaretam minus attenti scriptores."

[56]) Loc. cit. p. 97—102. Erste Ergänzgen.

[57]) De literat. polit. med. aevi, Breslau 1838. Schoen nihil habet nisi ieiunam horum librorum epitomen.

[58]) Allgem. Monatschrift für Wissensch. u. Literat. 1853.

[59]) Deutsche Gesch. im 13. Jahrh. p. 18 ss. — Cf. etiam Deutschlands

auctoritatem veterum editionum secuti, totos et integros tribuunt Thomae. Alii contra, et ille quidem Bellarminus omnium primus, quem imitabantur Philipps[60]), Walter[61]), Prantl[62]), Thomam auctorem illorum librorum esse omnino negant. Ad utramque sententiam stabiliendam potuerunt afferri rationes, quae eiusdem momenti esse viderentur. Alii „iam primum, aiunt, operum Thomisticorum indicem, a Ptolemaeo de Lucca, Thomae discipulo editum, huius „de regimine principum" opusculi facere mentionem; nihil praeterea contineri, quod a Thomae doctrina aut lingua aut scriptione abhorreat"[63]). Alii contra „satis turbatum esse ordinem tractandi, multa inchoari, deseri, redintegrari, repeti; narrari insuper talia, quae post mortem doctoris angelici demum sint facta[64]); praeterea alia quaedam inesse, quae sanctus doctor numquam fortasse fuerit scripturus"[65]). Illud obiiciunt potissimum ii, qui popularium iurium, quae exinde ab anno 1789 divulgata sunt, Thomam volunt esse vatem, et potestatis pontificiae per fas et nefas augendae acerrimum propugnatorem vindicant; hoc potissimum illi dicunt, qui eum a doctrina, qua occasione iniusti regiminis seditionem sive rebellionem moveri liceat, liberum ac mundum constituunt. Accurata tamen disquisitione, quam quidem primi iidem Echard et Quetif aeque ac de commentariis ad politicos Aristotelis libros instituerunt et deinde Bernardus Maria de Rubeis et Jour-

Geschichtsquellen p. 305 ss. Miro modo p. 306 cognitam habet condicionem criticam ex Quetifo, sed nusquam eam adhibet.

[60]) Cf. Lorenz Geschichtsquellen p. 306 Anmerkg. Philipps autem sicut ceteri errorem duxit suum ex erronea Casimiri Oudini descriptione, quam refutatam habes a Bernardo Maria de Rubeis tom. XVI p. 503.

[61]) Naturrecht und Politik p. 523 ss.

[62]) In Bluntschli's Staatslexicon 9. Band p. 358.

[63]) Multa, quae in utramque partem sunt disputata, leguntur apud Bernardum Mariam de Rubeis, tom. XVI p. 500.

[64]) „Qualia sunt, inquit Echard, cap. 20 libri III, electio Rodolphi imperatoris sub finem anni 1273 et eius mors 1291; itemque electio Adulphi Nassoviae comitis anno 1292, et huius occisio ab Alberto Austriae duce, anno 1298." Tom. XVI, p. 267.

[65]) Tom. XVI, p. 274 et 275, lib. IV, cap. V et VI, de militia a mulieribus non sustinenda.

quisque ex illa lectione optime ad certamina tunc literaria cognoscenda adiuvatur, et, quae fuerit utrisque pugnandi ratio, docetur. Atque etiam ideo haec opuscula memoratu et notatu digna sunt, quod prodierunt ex iis controversiis, quibus primum inde a monachorum origine ab hominibus literatis iisdemque theologis consuetudo et ipsa veritas paene vitae monachorum tentata est[54]).

Aliud porro opusculum, quod inscribitur „de regimine Judaeorum", est epistola responsoria, quam doctor angelicus, sententiam de vectigalibus a Judaeis exigendis deque similibus rebus rogatus, ad „ducissam" Brabantiae, vel ut alii de Thoma scriptores legunt, ad „comitissam" Brabantiae misit[55]). Quae etsi satis exigua et ad causas conscientiae dubiae exponendas determinandasque est composita, tamen ad politicam rem spectat et iure a Baumanno est adhibita[56]).

Maximi vero momenti est illud „de regimine principum" opusculum decimum sextum, tom. XVI. Huius condicio critica similis se habet ac commentariorum ad politicos Aristotelis libros, multo tamen est dignior, quae commemoretur et accurate inspiciatur, quod ex hoc opusculo solo plerique Thomae doctrinam politicam deduci putaverunt. Hos igitur quattuor libros „de regimine principum" Schoen[57]), Foerster[58]), Lorenz[59]), Kautz alii,

[54]) Cf. Gieseler, Kirchengeschichte II, 2 p. 338 ss. Neander.

[55]) Cf. Echard et Quétif, Script. ord. praed. I p. 337. Bernardus Maria de Rubeis in dissert. IV, tom. XVI p. 566 ed. Parm: „Una, inquit, est dissonantia in comitissa Flandriae, ut Ptolemaeus habet, et ducissa Brabantiae, ut habent alii, quam etiam exhibent codices mss. Ptolemaeo Lucensi adhaerendum sane. Flandriae comitatum, post obitum Joannae, soror eius Margareta administravit ab anno circiter 1245 ad annum 1279. Historiarum scriptores consule. Cur ergo irrepserit „ducissa Brabantiae?" Nempe Guilielmo marito suo secundo Margareta comitissa Flandriae genuit Guidonem, qui successit. Filiam hic habuit Margaretam anno 1273 nuptam Joanni I, duci Brabantiae. Hinc alteram pro priore fortasse accepere Margaretam minus attenti scriptores."

[56]) Loc. cit. p. 97—102. Erste Ergänzgen.

[57]) De literat. polit. med. aevi, Breslau 1838. Schoen nihil habet nisi ieiunam horum liborum epitomen.

[58]) Allgem. Monatschrift für Wissensch. u. Literat. 1853.

[59]) Deutsche Gesch. im 13. Jahrh. p. 18 ss. — Cf. etiam Deutschlands Geschichtsquellen p. 305 ss. Miro modo p. 306 cognitam habet condicionem criticam ex Quetifo, sed nusquam eam adhibet.

auctoritatem veterum editionum secuti, totos et integros tribuunt Thomae. Alii contra, et ille quidem Bellarminus omnium primus, quem imitabantur Philipps[60]), Walter[61]), Prantl[62]), Thomam auctorem illorum librorum esse omnino negant. Ad utramque sententiam stabiliendam potuerunt afferri rationes, quae eiusdem momenti esse viderentur. Alii „iam primum, aiunt, operum Thomisticorum indicem, a Ptolemaeo de Lucca, Thomae discipulo editum, huius „de regimine principum" opusculi facere mentionem; nihil praeterea contineri, quod a Thomae doctrina aut lingua aut scriptione abhorreat"[63]). Alii contra „satis turbatum esse ordinem tractandi, multa inchoari, deseri, redintegrari, repeti; narrari insuper talia, quae post mortem doctoris angelici demum sint facta[64]); praeterea alia quaedam inesse, quae sanctus doctor numquam fortasse fuerit scripturus"[65]). Illud obiiciunt potissimum ii, qui popularium iurium, quae exinde ab anno 1789 divulgata sunt, Thomam volunt esse vatem, et potestatis pontificiae per fas et nefas augendae acerrimum propugnatorem vindicant; hoc potissimum illi dicunt, qui eum a doctrina, qua occasione iniusti regiminis seditionem sive rebellionem moveri liceat, liberum ac mundum constituunt. Accurata tamen disquisitione, quam quidem primi iidem Echard et Quetif aeque ac de commentariis ad politicos Aristotelis libros instituerunt et deinde Bernardus Maria de Rubeis et Jour-

[60]) Cf. Lorenz Geschichtsquellen p. 306 Anmerkg. Philipps autem sicut ceteri errorem duxit suum ex erronea Casimiri Oudini descriptione, quam refutatam habes a Bernardo Maria de Rubeis tom. XVI p. 503.

[61]) Naturrecht und Politik p. 523 ss.

[62]) In Bluntschli's Staatslexicon 9. Band p. 358.

[63]) Multa, quae in utramque partem sunt disputata, leguntur apud Bernardum Mariam de Rubeis, tom. XVI p. 500.

[64]) „Qualia sunt, inquit Echard, cap. 20 libri III, electio Rodolphi imperatoris sub finem anni 1273 et eius mors 1291; itemque electio Adulphi Nassoviae comitis anno 1292, et huius occisio ab Alberto Austriae duce, anno 1298." Tom. XVI, p. 267.

[65]) Tom. XVI, p. 274 et 275, lib. IV, cap. V et VI, de militia a mulieribus non sustinenda.

dain minor prorsus planeque approbaverunt, pro certo constat, a Thoma Aquinate ipso hoc opusculum scribi coeptum esse, non tamen ad finem, sed tantum perductum esse ad haec quarti capitis libri secundi verba: „Oportunum est igitur in conversatione humana modicum delectationis quasi pro condimento habere, ut animus hominis recreetur." Opus deinde susceptum a verbis subsequentibus „quia ut Seneca dicit de tranquillitate ad Serenum, danda est animis remissio ...."[66]) Ptolemaeus ille de Lucca perfecit, qui Jourdaino minori et Quetifo schedis a Thoma relictis usus esse videtur, quod nos quidem non habemus persuasum: Thomae enim pars genuina de principiis secundum theologiam et philosophiam disserit, cetera praecipue nititur in historia sacra et profana[67]). Id unum concedimus, Ptolemaeum Aquinatis opera adhibuisse; invenimus enim rem singularem, cuius nemo adhuc memor fuit aut monuit. Dicimus autem ea verba, quibus in libri tertii capite nono de dominio eo disseritur, quod hominis super animalia est proprium[68]). Eadem enim legimus in primae partis summae theologicae quaestione nonagesima sexta, art. I[69]).

Opusculum igitur a multis nominatum, perlustratum a paucis, dividitur a nonnullis in duos partes, quarum prior libro primo et secundo efficitur, altera tertio et quarto libro. Id quodam iure fieri potest, dummodo, id quod et Werner[70]) et Döllinger[71]) con-

[66]) Thomae igitur propria sunt omnia, quae leguntur tom XVI p. 225—241; nec plura.

[67]) Ptolemaei igitur elucubrationem legimus tom. XVI p. 241—291 lib. II cap. 5—16 et lib. III et IV.

[68]) Tom. XVI p. 258 in prima columna a verbis „Primo quidem ex ipso naturae processu" ad „Sed utrumque dominium" versus viginti et octo.

[69]) Tom. I p. 382 col. I.

[70]) Werner, Der h. Thomas I p. 798 et 799 vindicat Thomae caput IX et cetera libri secundi. Tertium et quartum contra ne cognovisse quidem videtur, cum dicat: „Aus Thomas Bemerkung II, 9 dass er den Unterschied dieser beiden Regierungsformen im folgenden Buche umständlicher auseinanderlegen werde, ist zu ersehen, dass wir das Werk „de regimine principum" nicht vollständig besitzen; sei es dass es nie vollendet wurde, oder die folgenden Bücher verloren gegangen sind."

[71]) Döllinger, Papstfabeln p. 90. „Tolomeo von Lucca, Verfasser der

fuderunt, auctorum vera consideretur ratio. Hi enim non vere primum librum et totum quoque secundum tribuunt Thomae, sicut Echardi et Quetifi inquisitione constat. Sed illa divisio ideo iusta esse nobis videtur, quia duobus prioribus libris de rege et regno, sequentibus duobus de omnibus dominandi regendique modis, scil. spirituali saeculari, publico domestico, regali populari, iusto tyrannico agitur. Hanc ob causam Walter ea, quae libri III c. 13—19 de monarchia Christi leguntur, digressionem ineptam esse non vere animadvertit[72]), immo omnia optime rationi auctoris convenire nobis videntur. Ptolemaeus autem, qui opus a Thoma relictum suscepit, perfecit ea arte, ut de rege et regno, ubi forte posterioribus in libris res ita ferebat, expressis semper verbis eos, qui legunt, ad priores duos libros revocet[73]). Unde etiam iterum neutri libri possunt intellegi vel accipi duae inter se separatae partes. Hoc ideo acri animadvertendum attentione censemus, quod Werner, cui in Germania de Thomae scriptis plurima notitia attribuitur, Echardum et Quetifum, cum cognovisset citaretque aliis de rebus, in hac quaestione non secutus est, neque usquam, cur ita faceret, causam attulit[74]), ita ut neque duos posteriores libros commemoret, et priores duos totos Thomae opus esse statuat[75]). Eum vero omnino de hac quaestione neque Bernardum Mariam de Rubeis neque Echardum et Quetifum consuluisse aut perlegisse inde colligitur, quod ex loco capitis noni libri secundi, quod caput

beiden letzten Bücher des Werks de regimine principum, dessen beide ersten von Thomas von Aquin sind."

[72]) Walter, Naturrecht und Politik p. 529, Anmerk. 5.

[73]) Cf. lib. 4 c. 1 in tom. XVI p. 270: „Et primo quidem in quo differt a regali, sive imperiali, sive monarchico, quod ex supra dictis in primo et tertio libro aliqualiter videri potest." Ibid. c. 2 p. 271: „Advertendum autem quod superius in principio primi libri probatum est . . ." Ibid. cap. 7 p. 275: „Talis vicissitudo regimini derogat, ut dictum est supra in secundo libro." Similes loci inveniuntur multi.

[74]) Baumann Wernerum de aliis rebus laudat, de hac causa sequitur Bernardum Mariam de Rubeis non addens, cur Wernerum repudiaverit. Echardum et Quetifum non consuluit, qui ante illum, quantum ad codices manuscriptos bene rem confecerunt.

[75]) Cf. Der h. Thomas I p. 798 et 799 loc. cit.

aeque ac cetera inde a quinto eiusdem libri Ptolemaeo adscribendum esse illi probaverunt, concludit, Thomam non perfecisse opus, et cetera, quae ibi promissa sunt, non tractata esse postea a Thoma aut libros promissos esse amissos. Si Quetifum consuluisset, talia scribere non potuisset. Locus autem ille est: „Hoc autem in sequenti libro declarabitur“, scil. „quia philosophus in primo politicorum dividit regale contra despoticum“ [76]). Sane si hunc locum scripsisset Thomas ipse, neque sequerentur alii libri, quibus ea, quae Ptolemaeus pollicitus est ibi, adimplerentur, Werner vere conclusisset. Sed illa non licet supponere, et contraria vera esse est in promptu.

Postremo, ut tandem huic de operum condicione critica quaestioni finem faciamus, id unum declaramus, ne quattuor quidem libris opusculum „de regimine principum“ esse absolutum; ipse auctor alter, Ptolemaeus scil. rei ipsi et rationi suae nondum prorsus responderi sensit, quia principatum domesticum praeteriisset; de quo auctor „per se opus se compositurum esse“ promittit. In libri enim quarti capite 28, quod idem est ultimum, haec leguntur: „Restat ulterius de principatu oeconomo, hoc est de regimine domus, quod est patris familias; qui quidem materiam habet omnino distinctam ab aliis principatibus. Et ideo congruum videtur, hoc per se opus componere, distinguendo per libros sive tractatus et sua capitula, prout natura facti requirit, qua in re philosophus eundem modum tenet. Est ultimum de virtutibus, quae requiruntur ad partes regiminis in quocumque genere, sive sint subditi sive rectores, sive principes, sive subiecti fideles; quia sic requirit ordo doctrinae in arte vivendi et non simul ac mixtim tractare de ipsis, ut quidam fecerunt, quia hoc est impedire intellectum dicentis et est contra normam dicentis (docentis?)“ [77]). Ex ultimis his verbis concludi potest, opus ab altero auctore, cum Thomas ipse regi missurus fuisset Cypri [78]), con-

[76]) Tom. XVI p. 244 col. II.

[77]) Tom. XVI p. 291.

[78]) Bernarduc M. de Rubeis eum, qui quaerit, quis fuerit ille rex Cypri, remittit ad Echardum; „ipsum consule egregie disserentem.“ tom. XVI p. 500. Jourdain p. 149 nulla ratione allata ab Echardo dissentire videtur. Sed Echar-

fectum esse ea intentione et eo consilio, ut in scholis quasi quoddam doctrinae socialis et politicae compendium haberetur. Qua re, ut plura de horum librorum argumento disseramus, quamvis magnopere alliciamur, tamen hac commentatione mera Thomae praecepta et placita propposituri et disputaturi cetera praetermittenda esse arbitramur, et ad intentionis nostrae sive provinciae susceptae partem alteram sumus perrecturi.

IV.

Quam rationem Thomas inter disciplinas sociales et cetera sciendi studia intercedere docuerit.

„Scientia est assimilatio intellectus ad rem scitam per speciem intellegibilem, quae est similitudo rei intellectae [1]).“ Secundum hanc scientiae nationem apparet scientiam ipsam posse dividi primo secundum res, quibus intellectus assimiletur, tum secundum modum, quo haec fiat assimilatio. Quoad autem utrumque Thomas scientiam esse affirmat, qua sola mente humana aut ratione naturali haberi non possit. Itaque distinguit „scientiam per revelationem divinitus

dus haec. „Quis ille rex Cypri, cui opuculum hoc nuncupavit Thomas, quaeri solet, censetque noster Stephanus de Lusignano genealogiae regum Cypri Gallice scriptae fol. 17, 6., esse Hugonem tertium e stirpe Lusiniana, principem primo Antiochiae et c. 1267 Cypri regem, ac tandem post mortem Conradini Neapoli capite plexi circa 1272 Hierosolymorum regem. Id vero mihi non probatur, tum quod vix regnum Cyprium capessiverat, cum ambivit Hierosolymitanum, quod tamen ceu sibi debitum contendebat Maria princeps Antiochena, quae tandem ius suum Carolo Andegavensi, Siciliae utriusque regi cessit. Non est autem verisimile, s. Thomam Carolo intimum eius competitori librum nuncupasse. Adde Hugonem tertium aetatis iam provectae fuisse, cum regnum Cyprium inivit, cuius modi principibus praecepta aegre dantur. Itaque Hugoni secundo crediderim potius inscriptum opusculum; hic enim adolescens erat anno 1266 quattuordecim circiter annorum. In gratiam autem eius aetatis regum solent huius rationis opera componi. Cum autem illo eodem anno vel sequenti 1267 mortuus sit regni X, haec forte causa fuit, cur Thomas opus inceptum non compleverit.“ .... De scr. ord. praed. tom. I pag. 337.

[1]) Tom. I p. 59 s. t. 1 q. 14 art. 2, ad 2.

datam et scientiam humanitus inventam [2]." In utroque deinde sciendi genere quaedam ad alterum vel minime vel parum spectant, aliae inveniuntur res utrique communes. Quam ob rem earundem rerum potest esse scientia divinitus per revelationem data, et scientia altera humanitus inventa, scientia naturalis et supernaturalis, scientia infusa et acquisita. „Nihil prohibet de eisdem, de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis [3])."

Aliis de veritate huius primi Thomistici fundamenti disputare mittimus; sed praeterire eam nullo modo hac in commentatione licet. Neque alia Thomae distinctio neglegenda est. Quaecunque enim scientia comprehenduntur, aut propter solam veritatis considerationem et sciendi cupiditatem, aut ratione operationis actionisque perspiciuntur atque inquiruntur [4]). Secundum hoc dicitur intellectus humanus speculativus et practicus sive operativus; uterque eiusdem animae et potentiae, diversa tamen ratione, cum alter ordinet ad verum, alter ad bonum.

„Practicus vero veritatem et ipse cognoscit, sicut et speculativus, sed veritatem cognitam ordinat ad opus [5])." Opus autem et operatio secundum Thomam efficitur aut actione aut factione. Factione enim constituitur ordo in exterioribus rebus, eamque ob causam consistit tota in artium et opificiorem vi, quibus ratio

[2]) Tom. I p. 2 q. 1 art. 1 in corp: „Necessarium fuit ad humanam salutem, esse doctrinam quandam secundum revelationem divinam praeter philosophicas disciplinas, quae ratione humana investigantur." Eadem sententia multis locis invenitur.

[3]) Tom. I p. 2. q. 1. art. 1. ad. 2.

[4]) Tom. I p. 316. q. 79 art. 11. in corp. „Accidit autem alicui apprehenso per intellectum, quod ordinetur ad opus, vel non ordinetur. Secundum hoc autem differunt intellectus speculativus et practicus; nam intellectus speculativus est, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem; practicus vero intellectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus. Et hoc est, quod philosophus dicit (in 3. de anima, text. 49), quod speculativus differt a practico fine; unde et a fine denominatur uterque; hic quidem speculativus, ille vero practicus sive operativus."

[5]) Tom. I p. 317 q. 79 art. 11 ad. 2.

disponit omnia illa, quae veniunt in usum hominis. Actione contra operatur homo ordinem in operationibus proprie humanis, quae procedunt a voluntate secundum ordinem rationis. Hae operationes autem sunt obiectum philosophiae moralis, si quidem loquitur Thomas qua philosophus, ut patet in proëmio commentariorum ad libros Aristotelis ethicos scriptorum [6]). Si vero loquitur de actionibus humanis ut doctor christianus, cum philosophica actionum consideratione conjungit theologicam, et inde evadit theologia moralis, qualem proponit Thomas in secunda summae theologicae parte [7]).

De philosophia autem morali Thomas haec addidit: „Moralis philosophia in tres partes dividitur. Quarum prima considerat

[6]) Opportunum esse videtur, totam scientiae philosophicae rationem et divisionem afferri. Tom. XXI p. 1 et 2 in proëmio ad comm. eth.: „Sapientis est ordinare . . . . Invenitur autem duplex ordo in rebus. Unus quidem partium alicuius totius seu alicuius multitudinis ad invicem . . . ., alius est ordo rerum in finem. Et hic est principalior, quia primus. Ordo autem quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem et signa conceptuum, quae sunt voces significativae. Tertius autem est ordo, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem est ordo, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in arca et domo. Et quia consideratio rationis per habitum perficitur, secundum hos diversos ordines, quos proprie ratio considerat, sunt diversae scientiae. Nam ad philosophiam naturalem pertinet considerare ordinem rerum, quem ratio humana considerat, sed non facit, ita quod sub naturali philosophia comprehendamus et metaphysicam. Ordo autem, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem philosophiam, cuius est considerare ordinem partium orationis adinvicem et ordinem principiorum ad invicem et conclusiones. Ordo autem operationum voluntariarum pertinet ad moralis philosophiae considerationem. Ordo autem, quem ratio considerando facit in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam, pertinet ad artes mechanicas.

Sic ergo moralis philosophiae, circa quam versatur, praesens intentio, proprium est considerare operationes humanas, secundum quod sunt ordinatae ad invicem et ad finem. Dico autem operationes humanas, quae procedunt a voluntate hominis secundum ordinem rationis."

[7]) Tom. II et III s. t. 1. 2. et 2. 2.

operationes unius hominis, ordinatas ad finem, quae vocatur monastica. Secunda autem considerat operationes multitudinis domesticae, quae vocatur oeconomica. Tertia autem considerat operationes multitudinis civilis, quae vocatur politica[8]).“ Ratio huius divisionis et causa, cur non ad eandem scientiam pertinere possint monastica domestica civilis, inde deducitur, quod et unus homo et domestica et civilis multitudo habent actiones, quae et inter se et a singulorum facultatibus viribusque tantopere distant, ut uniuscuiusque trium, quas enumeravimus, partium propriae et peculiares inveniantur, neque ullo modo una simul scientia possint comprehendi. „Hoc totum, quod est civilis multitudo vel domestica familia habet solam unitatem ordinis, secundum quam non est aliquid simpliciter unum. Et ideo pars ejus totius potest habere operationem, quae non est operatio totius . . . . . Habet nihilo minus et ipsum totum aliquam operationem, quae non est propria alicuius partium[9]).“

Nihil obstat, quin haec omnia transferantur in theologiam moralem, et saepius invenimus, Thomam Aquinatem hac eadem divisione in theologia morali esse usum[10]). Sed si iustis oculis suspicimus, theologia moralis, qualem quidem Thomas debuit exponere, indiget quartae partis, quam ad monasticam, domesticam, civilem necesse est accedere. Christiana namque et catholica doctrina omnes etiam civiles societates inter se congregantur in „unum populum christianum“, in „unam ecclesiam visibilem“, sub „uno summo principe ac pontifice“, „qui tenet apicem utriusque potestatis.“ Consentaneum igitur est, etiam hanc populorum fidelium congregationem esse quoddam totum et habere „aliquam operationem, quae non est propria alicuius partium“, aequo modo ac de domestica et civili multitudine, a Thoma est expositum. Et hanc, quam poscimus, quartam partem catholicae scientiae moralis sive theologiae moralis iure fortasse „ecclesiasticam“ dici licet. Mirum sane videtur, quod, quantum nos scimus, nemo doctorum christianorum neque hic noster Thomas, „aquila theologiae“, hanc scientiam per se pertractaverit, praesertim cum longo medii aevi spatio omnis

---

[8]) Tom. XXI p. 2 in proëmio. [9]) Tom. XXI p. 2 ibid.

[10]) Tom. III p. 183. s. t. 22 q. 47 art. 11 et aliis locis.

fere Europa et totus paene orbis terrarum et de jure et de facto secundum principia christiana regerentur. Et nihil nobis relinquitur, quam in hac re cum ceteros, tum nostrum Aquinatem vituperare, quod sine sufficiente consideratione et temerarie Aristotelis et cuiuscunque non christiani praeceptoris divisionem scientiae moralis suscipiens non ultro processerit ad quartam partem, quae utcunque quis de veritate ecclesiae sentit, si ecclesia talis intellegitur, qualem Thomas et omnes catholici doctores describunt, sine ulla dubitatione excoli debeat formarique. Altera contra ex parte non deest Thomae aliisque huius peccati excusatio: nam revera est difficillimum, primum rem tam amplum tamque magnam institutionem, scil. ecclesiam catholicam describere, antequam tota et plena species eius et forma et potestas sit descripturo ostensa; quod quidem ex notione et naturae ecclesiae catholicae tunc demum cum quadam perfectione fieri poterit, cum totum genus humanum, si contigerit ei, amplectetur. Difficilius vero deinde est, actionum huius totius, quod est ecclesia, regulas, leges, praecepta, statuta conscribere, quae fortasse, cum propter casuum, tum propter voluntatum varietates et „temporum rationem,“ sunt sive innumerabilia, sive exploratu difficiliora et impeditiora. Id autem de hac re quamvis ardua tenendum censemus, principia scientiae „ecclesiasticae“, id est scientiae, quae de ecclesia traditur, non quae ab ecclesia de qualibet causa proponitur, a doctoribus christianis separatim per se debuisse tractari[11]). Ne quis vero dicat, hanc, quam poscimus novam fortasse scientiae disciplinam in iure canonico inesse, id obiicimus, iure canonico non magis illi quartae moralis scientiae

---

[11]) Pauca tantum opera maiore cum utilitate ad causas huius scientiae, quam vocamus „ecclesiasticam“, adhiberi posse videntur, scil. „Augustini Triumphi summa de potestate papae“, Romae 1582, editio ultima. Sed hoc opus magis versatur in positivo iure auctoris temporis. Melius vero ad rem accedit Camillus Tarquini libro suo: „Juris ecclesiastici publici institutiones“, Romae 1868. Ceterum decursu et eventu concilii Vaticani, a quo constitutio ecclesiae dogmatibus denuo accuratius circumscribi coepta est — id quod Lorenz, „Deutsche Gesch. Einltg.“ adhuc omissum esse monuit — multi canones sunt propositi, cf. Martini Conc. Vatic. document. collectio, quibus istius modi scientiam et propriam per se disciplinam maiore cum necessitate ab auctoribus christianis desideratum et perfectum iri opinamur.

parti satisfieri, quam iure Borussico, vel cuiuscunque singularis civitatis respondeatur scientiae politicae generali. Ceterum non negamus ipso iure canonico contineri multa, quae summa cum utilitate ad scientiam „ecclesiasticam" adhiberi possint; eodem modo historia ecclesiae permulta ad eam conferre nobis videtur, aeque ac historia profana in scientia politica non debet neglegi. Neque etiam theologiam dogmaticam esse hanc scientiam a nobis postulatam concedimus, quantumvis quae in ea tradantur ad illam pertineant; dogmatica enim theologia ad „ecclesiasticam" scientiam eandem rationem habere nobis videtur, quam logica vel psychologia ad politicam. Quae fundamenta quaedam et modum concludendi ostendunt, regimen autem ipsum ecclesiasticum vel civile, iuris ecclesiastici vel civilis philosophicas sive theologicas rationes, congregationis ecclesiasticae et societatis civilis partes, fines, operationes, instituta non describunt.

Quodsi „aquilae theologiae" non possumus non obiicere omissionem eam, tamen res nonnullas, quae ad scientiam ecclesiasticam pertinent, attigit ita, ut alia in ipsa theologia dogmatica, alia in scientia morali monastica traderet. Plura de hac re et singula postea suo loco disserentur. Ita Thomas Aquinas, cum ecclesiasticam scientiam necessariam esse neque sentiret neque statueret, politicam scientiae moralis partem unus prae ceteris medii aevi doctoribus pro literarum condicione valde coluit et aluit, id quod iam declarant Aquinatis merita de politicis Aristotelis libris supra commemorata et cetera scripta proposita. Praeclarae vero, quas non exspectaveris fortasse a doctore medii aevi, qui idem est celeberrimus inter ecclesiasticos, dici potuisse, sunt eius de civitate et politicis studiis sententiae: „Cum autem ratio humana disponere habeat non solum de his, quae in usum hominum veniunt, sed etiam de ipsis hominibus, qui ratione reguntur, in utrisque procedit ex simplicibus ad compositum ... in ipsis autem hominibus, ..., cum multos homines ordinat in unam quandam communitatem. Quarum quidem communitatum cum diversi sint gradus et ordines, ultima est communitas civitatis ordinata ad per se sufficientia(m) vitae humanae. Unde inter omnes communitates humanas ipsa est perfectissima. Et quia ea, quae in usum hominis veniunt, ordinantur ad hominem, sicut ad finem, qui est principalior his, quae sunt ad finem, ideo necesse est, quod hoc totum, quod est civitas sit principalius omnibus totis, quae ratione humana cognosci et constitui possunt[12])."

Ex hac civitatis, paene diximus, laudatione Thomas deducit deinde politicae scientiae necessitatem, genus, dignitatem, modum ordinemque: „Ex his igitur ... quattuor accipere possumus. Primo quidem necessitatem huius scientiae. Omnium enim, quae ratione cognosci possunt, necesse est aliquam doctrinam tradi ad perfectionem humanae sapientiae, quae philosophia vocatur. Cum igitur hoc totum, quod est civitas, sit cuidam rationis iudicio subiectum, necesse fuit ad complementum philosophiae de civitate doctrinam tradere, quae politica nominatur, id est civilis scientia."

„Secundo possumus accipere genus huius scientiae. Cum enim scientiae practicae a speculativis distinguantur in hoc, quod speculativae ordinantur solum ad scientiam veritatis, practicae vero ad opus, necesse est hanc scientiam sub practica philosophia contineri, cum civitas sit quoddam totum, cuius humana ratio non solum est cognoscitiva, sed etiam operativa. Rursumque cum ratio quaedam operetur per modum factionis operatione in exteriorem materiam transeunte, quod proprie ad artes pertinet, quae mechanicae vocantur, utpote fabrilis et navifactiva et similes, quaedam vero operetur per modum actionis operatione manente in eo, qui operatur, sicut est consiliari, eligere, velle et huius modi, quae ad moralem scientiam pertinent, manifestum est politicam scientiam, quae de hominum considerat ordinatione, non contineri sub factivis scientiis, quae sunt artes mechanicae, sed sub activis, quae sunt scientiae morales."

„Tertio possumus accipere dignitatem et ordinem politicae ad omnes alias scientias practicas. Est enim civitas principalissimum eorum, quae humana ratione constitui possunt. Nam ad ipsum omnes communitates humanae referuntur .... Si igitur principalior scientia est, quae est de nobiliore et perfectiore, necesse est politicam inter omnes scientias practicas esse principaliorem et archi-

---

12) Tom. XXI p. 366 in poëmio ad politicos libros Aristotelis.

tectonicam omnium aliarum, utpote considerans (tem!) ultimum et perfectum bonum in rebus humanis."

„Quarto ex praedictis accipere possumus modum et ordinem huiusmodi scientiae. Sicut enim scientiae speculativae, quae de aliquo toto considerant, ex consideratione partium et principiorum notitiam de toto perficiunt passiones et operationes totius manifestando, sic et haec scientia principia et partes civitatis considerans de ipsa notitiam tradit partes et passiones et operationes eius manifestans. Et quia practica est, manifestat insuper, quomodo singula perfici possunt, quod est necessarium in omni scientia practica[13])."

His Thomae verbis arbitramur magis recenti satisfieri sententiae, qua revera civitas una et summa et praestantissima communitas hominum reputatur. Sed si eadem sententia a Thoma in theologiae moralis parte monastica adhibetur, doctorem angelicum sibi non congruentem deprehendimus, quod hoc modo non senserit declarari a se ipso aut admitti saltem politicam scientiam ab omni theologia immunem et liberam tantopere, ut si illa vera sint, christiana et catholica politica ad ea non possit referri aut conformari. Quid enim, si Thomas illis verbis solam rationem inducit „constituentem civitates", si appellat scientiam politicam „inter omnes scientias practicas principaliorem et architectonicam omnium aliarum, utpote considerantem ultimum et perfectum bonum in rebus humanis?" Cur non transtulit aut intulit in hanc laudem politicae a theologia immunis, quae est nostris temporibus, aliam suam sententiam, sicut theologum decuit, qua: „Ad gubernationem autem, inquit, vitae propriae et aliorum non solum requiritur cognitio eorum, quae naturaliter sciri possunt, sed etiam cognitio eorum, quae naturalem cognitionem excedunt, eo quod vita hominis ordinatur ad quendam finem supernaturalem, sicut nobis ad gubernationem vitae nostrae necessarium est cognoscere, quae fidei sunt[14])." Quae si secum reputasset Thomas et more suo explicasset de industria et cum diligentia, qua de aliis minoribus saepe rebus disputavit,

---

[13]) Tom. XXI p. 366 et 367 in proëmio commentariorum ad politicos Aristotelis libros.

[14]) Tom. I p. 377 s. t. 1. 9. 94 art. 3. in corp.

eduxisset et evolvisset etiam apertis verbis notionem et rationem christianae et catholicae scientiae politicae. Sed eodem modo, quo „ecclesiasticam scientiam", quam ostendimus, per se consistere et separatam tradi necesse esse non ostendit, ita nusquam exposuit, quantum notio et ratio christianae politicae ab Aristotelis et ceterorum, qui non sunt christiani et catholici viri politici, differret discreparetque.

Quamobrem aliquis credere possit, Aquinatem, cum solius politicae non christianae rationem, necessitatem, dignitatem apertis verbis exposuerit, et ipsam christianam politicam non tradere. Sed hac in re illi accidit, id quod multis, ut opinionum suarum usum, cum necessitas contraria instat, neglegant. Nam in proëmio opusculi „de regimine principum", quod „in usum Delphini", ut ita dicamus, conscripsit, praeter rationem, id est „philosophorum dogmata" et „exempla laudatorum principum" etiam „scripturae divinae auctoritatem" praefatur a se adhibitum iri, unde sumat regulas et praecepta[15]). Quin immo in hoc opusculo philosophorum et doctorum christianorum atque locorum ex sacra scriptura petitorum facit permultam mentionem, aliorum contra non christianorum rarissime laudat opera. Ipsum Aristotelem, quem philosophum prae ceteris honorat, quater tantum in toto libro primo, quae est maior pars genuinarum Thomae de politica reliquiarum, commemorari invenimus.

Thomas igitur Aquinas, ut finem huic de scientia sociali parti formali imponamus, et ea, quae diximus, recapitulemus, de christianorum consuetudine, convictu, congregatione hierarchia minus recordatus et nimis ethnicam Aristotelis philosophiam socialem secutus neque „ecclesiasticam," quam vocavimus, scientiam coluit

---

[15]) Tom. XVI p. 225 opusc. 16 in epistola introductoria: „Cogitanti mihi quid offerrem regiae celsitudini dignum, meaeque professioni congruum et officio, id occurrit potissime offerendum, ut regi librum conscriberem de regno, in quo et regni originem et, quae ad regis officium pertinent, secundum scripturae divinae auctoritatem, philosophorum dogmata et exempla laudatorum principum diligenter depromerem iuxta ingenii proprii facultatem, principium, progressum consummationem operis ex illius exspectans auxilio, qui est rex regum et dominus dominantium, per quem reges regnant, deus magnus dominus et rex magnus super omnes deos."

satis quasi disciplinam ab aliis distinctam, et politicam expressis quidem verbis retulit ad philosophiam et rationem[16]), cum in rebus ipsis tractandis christianae et catholicae scientiae politicae satisfaceret.

De oeconomica sive domestica scientiae moralis parte Thomas nihil scripsit disctinctum ab aliis quaestionibus, et omnia eiusmodi inter ea, quae de ecclesia et de civitate disputavit, idoneo loco possunt disseri.

V.
De fine humanae societatis.

Totius de hominum sociali convictu ac commercio doctrinae fundamenta et radices inveniuntur in ceteris theologiae et philosophiae partibus, ad quas, qui penitus voluerit illam percipere, redeat, necesse erit. Sed et quia longum est, omnia de deo, de mundo, de providentia, de animo humano a Thoma dicta promere, et in universum nota vel ex aliorum operibus posse cognosci arbitramur, ea tantum hic afferenda censemus, quae propius ad materiam institutam pertinere videantur.

Primum autem cuiuscunque de humanarum societatum regimine agentis est considerare, quis finis homini sit petendus sive ipsa natura sive alio iubente. Nam: „Oportet eundem finem esse multitudinis humanae, qui est unius hominis“ [1]). Quam rem quomodo Thomas absolverit, quamvis nemini omnino ignotum sit, ideo tamen accuratius quodam modo explicari necesse esse videtur, quod in hac materia doctoris angelici summa docendi praestantia et theologica perfectio cernitur, quam ostendere eo magis ad integrum de Thoma iudicium praebendum opportunum esse videtur, quod ceteras Thomae ad hanc commentationem res pertinentes non undique sufficienti ratione aut satis diligenti cura expositas esse apparebit.

[16] Ceterum haec accusatio non est prorsus nova. Parisiensis enim universitatis doctores idem aliis in rebus conquesti arguunt Thomam, quod nimis sequatur philosophiam gentilium; cf. Werner, der h. Thomas I p. 871. — Eiusdem generis et originis illa vituperatio est, quam Luther adversus Silvestrem Prieriatem adhibuit: „Sed sisto, nescio enim an Thomistica theologia hanc theologiam unquam senserit; Paulina est enim, non Peripatetica.“ Cf. Löscher II p. 396.

[1]) Tom. XVI p. 237 opusc. 16 c. 14.

Duae igitur exstant sententiae generales, quibus theologi et philosophi deum creatorem et creaturas, totum hunc mundum intellegi aestimarique volunt. Altera, quae dicitur organica, tota consistit in eo, ut omnia[2]) propter fines quosdam et omnium rerum singularum singulos fines et inter se referri et ad unum ultimum finem deferri doceatur. Quae sententia iam a philosophis non christianis proposita, defensa, disputata, cum christianae doctrinae subsit quasi radix, sedes, moderatrix, ab omnibus doctoribus christianorum, philosophis theologis, accipitur, traditur, roboratur. Altera contra opinio, quae omnia ex necessitate quadam materiae agi omnemque causam finalem a rebus penitus subtrahendam statuit, ab illis ut falsa periculosaque reiicitur. Qua ex parte igitur Thomas Aquinas steterit, non ambigitur; in summis enim et commentariis, ut „mechanicam“ de universo sententiam refelleret[3]), defenderet „organicam“ ipsosque fines declararet, multam operam dedit[4]).

Atque auctor noster de fine hominis agens, cum multum Aristotelis verbis utatur, tamen longe alium hominis finem statuit, quam ille, quod ad eum explorandum diligentissime adhibet christianae fidei libros sacros et praeter hos christianos philosophos, Augustinum, Boëtium aliosque consulit. Deus igitur creator, cum

[2]) Feuguerai p. 35 non vere docet Thomae sententiam, dicens: „il commence par établir que l'homme agit toujours dans un but, que c'est là le propre de toute nature raisonnable et qu'il n'y a d'actes humains, à proprement parler, que ceux qui ont un but.“ Nam Thomas expressis verbis declarat contrariam sententiam, tom. II p. 2 s. t. 1. 2 q. 1 a. 2: Utrum agere propter finem sit proprium rationalis naturae; cf. tom. V p. 160 contra gent. l. II cap. 3: „Quod omne agens agit propter finem.“

[3]) Tom. V p. 161, verba caput II concludentia: „Per hoc autem excluditur antiquorum naturalium error, qui ponebant omnia fieri ex necessitate materiae, causam finalem a rebus penitus subtrahentes.“

[4]) Tom. V lib. III c. 16—24, p. 170—176.

superfluam bonitatem et infinitum amorem etiam aliis rebus et spiritibus vellet declarare et impertire[5]), eundem hominis finem instituit.

Consideratur autem finis et a parte hominis finem appetentis et a parte ipsius finis appetendi. Thomas in utramque partem magna cum diligentia et accuratione disputat. Finis, si consideratur ex parte tendentis, est studium et appetitio et adeptio[6]) summae perfectionis, si consideratur ex parte finis appetendi, intellegitur ipsa res, qua perfectio tendentis adimpletur. In naturis porro intellegentibus, quae ratione et arbitrio praeditae, quo tendant vel pervenire debeant, memores sunt, vel certe fieri possunt sibi consciae, perfectio haec finalis evadit felicitas, sive, quo verbo Thomas semper fere utitur, beatitudo[7]). Hoc igitur modo finis humani causa ita vergit, ut, in quibus hominis beatitudo consistat, sit investigandum. Perfectionem igitur cuiuscunque rei Thomas, cum Aristotelem secutus in illa actione, quae eius esset propria, posuerit[8]), humanae actionis proprium rationis usu, intellectus vi, voluntatis arbitriique libertate[9]) contineri censet. Ex

[5]) Tom. I p. 183 s. t. 1. q. 44 art. 4 in corp.

[6]) Tom. II s. t. 1. 2 q. 2 a. 8 in c. „Finis dupliciter dicitur, scil. cuius et quo, id est ipsa res, in qua ratio boni invenitur, et usus, sive adeptio illius rei.“ Thomas affert Aristotelis auctoritatem, sed falso loco adhibito.

[7]) Beatitudo et beatitas a Cicerone ita censentur: „Utrumque omnino durum, sed usu nobis mollienda verba sunt,“ de nat. deor. I, 34, 95. Quae verba post tredecim saecula satis mollita fuerant, praesertim autem ideo sunt idonea magis reddita, quod notio beatitudinis, qualem habet Thomas, subtilior et ab hac vita ubique fere seiungitur. Hoc simul loco liceat monere, propter illam Latinae linguae egestatem, quam ipso Cicero incusat (cf. disp. Tusc. saepius), nos coactos esse, ut saepius voces adhibeamus, quae cum non sint conformatae ad Ciceronis et aliorum aureae, quae dicitur, aetatis scriptorum auctoritatem, tamen christianam Thomae sententiam optime continent et exprimunt. Earum praeterea usus necessarius erit propter brevitatem et commoditatem et concinnitatem locutionis. Quid enim, si supernaturalis vocem semper ita exponere vellemus, „id quod naturam excedit“? etc.

[8]) Tom. V p. 177 c. g. III c. 25. „Propria operatio cuius libet rei est finis eius.“ ibid. p. 253 c. 113: „Omnis res propter suam operationem esse videtur; operatio enim est ultima rei perfectio.“

[9]) Tom. II p. 1 et tom. V.

eis autem, voluntate, id est vi appetitiva etiam alias creaturas ducente, quare voluntatem in tantum dici posse humanam concludit, quantum ratio regat et moderetur, potior et praestantior humanaeque beatitudinis proprius locus invenitur in ratione et intellectu. In hac denuo actione duplex est adhibenda ratio, scil. operationis practicae et speculationis mere contemplativae. Intellectus enim cum dicatur practicus, si potius ea, quae cognoscuntur, diriguntur ad operationes, speculativus contra, si solam veritatis considerationem intendit, speculationem operatione actioneque multo praestantiorem esse cum Aristotele docet Thomas Aquinas. In speculatione igitur et consideratione veritatis intellectae consistit „adeptio“ beatudinis humanae, si perlustratur a parte hominis ipsius appetentis. Intellectus speculativus est sedes, focus, sinus, quasi instrumentum ultimae felicitatis[10]).

Rem vero, quam consecutus adipiscitur homo beatudinem, ut inveniat, Thomas maxime ex Boëtii libro „de consolatione“ varias hominum philosophorum et non philosophantium opiniones profert, ac in theologi et philosophi modum inquirit[11]). Unde colligit illam ultimam hominis felicitatem positam esse neque in divitiis, neque in voluptate, neque in honoribus, neque in fama aut gloria aut alia laude hominum, neque vero in aliquo extero aut corporis bono; neque etiam illam consistere in possessione virtutum moralium[12]), quae quidem ipsae, si adhibeantur, ad aliud bonum adipiscendum referantur, et magis in actu voluntatis consistant, in qua nec solam, nec potiorem, nec propriam felicitatis ultimae sedem inesse satis demonstravit. Neque vero etiam, ut ad ipsum intellectum accedatur, contemplatione aut speculatione „scientiarum practicarum et speculativarum“, id quod voluit Aristotelis, contineri concedit beatitudinem perfectam[13]); qua in re maxime Aristotelis et Thomae cernitur differentia, quod ille in summa et

[10]) Haec omnia insunt optime in tom. II s. t. 1. 2 q. 1 et q. 3.

[11]) Tom. II s. t. q. 2 a. 1—8. Boëtii verba adhibet Thomas in articulis huius quaestionis I, III, IV et VI affirmaturus et probaturus.

[12]) Tom. V c. g. lib. III c. 34: „Quod ultima hominis felicitas non consistat in actibus virtutum moralium.“

[13]) Tom. II q. 3 a. 6 p. 16.

praestantissima naturalis intellectus actione, id est in contemplatione scientiarum speculativarum omnem beatudinem consistere vult, hic contra superaddit aliud quiddam superiùs, praeclarius ad naturalem cognitionem, quod neque ille Aristoteles neque ipse Thomas neque alius quisquam, quamvis religioni devotus aut ingenii praeditus sagacitate, naturali ratione cognoscere aut tradere potest, quod certum et verum esse, et ab homine capi posse sola divinae scripturae auctoritate demonstratur et affirmatur[14]). Haec autem summa felicitatis cumulatio, summa humanae appetitionis adimpletio, optimumque omnium, si quae alia sunt, bonorum, nihil aliud est, quam ipsius dei optimi maximi cognitio et visio[15]).

Quae Thomas cum secundum sacros libros et doctores christianos inprimis Augustinum et Boëtium fusius latiusque exposuerit, colligitur ad beatudinem hominis undique perfectam et absolutam a parte hominis finem ultimum appetentis summam et optimam intellectus facultatem et actionem, a parte autem rei appetitae ipsum summum omnium rerum principium et optimum et ultimum finem concurrere et coalescere.

Cognitio rursus dei absoluti, quae fit intellectu, ipsa multifariam dividitur. „Est enim", inquit Thomas, „quaedam communis et confusa dei cognitio, quae quasi omnibus hominibus adest, sive hoc sit per hoc, quod deum esse sit per se notum, sicut alia demonstrationis principia, sive, quod magis verum videtur, quia naturali ratione statim homo in aliquam dei cognitionem pervenire potest"[16]). „Rursus est quaedam alia dei cognitio, altior quam praemissa, quae de deo per demonstrationem habetur, per quam magis ad propriam ipsius cognitionem acceditur, cum demonstratione removeantur ab eo multa, per quorum remotionem ab aliis

[14]) Tom. XXI; in comment. ad ethicorum librum X exponit Thomas Aristotelis de felicitate doctrinam. In summa theologica inde ducit obiectiones contra christianam suam sententiam, positoque dogmate fidei eas ad fidem reconciliat tom. I q. 3 a. 6 obc. 1.

[15]) Auctoritate utitur Thomas Jeremiae IX, 4 et I. Joann. III, 2 tom. II p. 17. „In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me." art. 8: „Cum apparuerit, similes erimus ei, et videbimus eum, sicuti est."

[16]) Tom. V p. 184 c. g. III, c. 38.

discretus intellegitur"[17]). „Est autem et alia dei cognitio, quantum ad aliquid superior cognitione praedicta, qua scil. deus ab omnibus per fidem cognoscitur, quae quidem, quantum ad hoc cognitionem, quae de deo per demonstrationem habetur, excedit, quia quaedam de deo per fidem cognoscimus, ad quae propter sui eminentiam ratio demonstrans pervenire non potest"[18]). „In cognitione autem fidei invenitur operatio intellectus imperfectissima, quantum ad id, quod est ex parte intellectus, quamvis maxima perfectio inveniatur ex parte obiecti ..... intellectus enim assentit per fidem his, quae sibi proponuntur, quia vult, non autem ex ipsa veritatis evidentia tractus"[19]).

Ultima vero et summa dei cognitione, id est „visione dei per essentiam", qua divinum numen ipsum „facie ad faciem"[20]) inspicitur et comprehenditur, vere perficitur et absolvitur summa hominis beatitudo et ultima eius felicitas[21]). Quam hac in terra degente ab homine non posse haberi cum sit perspicuum, in alium post mortem hominis statum necesse est proferri, quem Thomas „gloriae in patria statum" appellat. Tali autem doctrina, si recte intellegatur et adhibeatur, hominem adduci ad uberes rerum supernaturalium fontes, ad mirabilium partes remitti, ad metam dirigi remotam illam quidem, sed eo speciosiorem et omnes alias res optabiles superantem, liquet.

Quae cum ita sint, fortasse quis doctorem angelicum res huius vitae nimis angelorum instar aestimare possit suspicari. In quod periculum omnes fere doctores christiani labi videntur, ita ut praedicantes illam aeternam felicitatem verbis, literis, doctrina saepius, rarius disciplina, exemplis, factis vitae huius bona, divitias, — non est, cur praetereamus — voluptates, conversationem et societates hominum, ut res familiares et forenses, postponant, quas

[17]) Ibid. p. 185, c. 39. [18]) Ibid. p. 186, c. 40.

[19]) Ibid. c. 40 in arg. 2 et 3.

[20]) Ibid. p. 198, c. 51 „Quomodo deus per essentiam videatur. In argumento provocat S. Pauli verba 1. Cor. 13, 12 „Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem."

[21]) Saepissime in hac felicitatis summae doctrina versatur, optime autem et diutissime tom. V p. 184--206. lib. III c. 38—63.

minus ad beatudinem perfectam conferre arbitrentur. Cuius rei testis verus ex Thomae saeculo est Innocentius III pontifex ille summus et clarissimus, qui etsi librum confecerat „de contemptu mundi", ipse tamen orbis regendi spiritualia et paene etiam saecularia gubernacula subiit. Thomas contra Aquinas, etsi summo loco natus et regibus imperatoribusque affinitate coniunctus, ipse omnia terrena saluti aeternae quaerendae postponens humilitatem monasticae vitae elegerat et monachus, theologus, asceta, sanctus omnia ad illam deferebat et remittebat[22]), attamen huius vitae bona, nec solum illa, quae in eruditione animae, sed illa quoque, quae in corporis bona condicione ceterisque rebus exterioribus ponuntur, multum ad beatitudinem „imperfectam, quae in hac vita haberi possit", valere declaravit, sive ut „praeambula vel praeparatoria", sive ut „perficientia", sive ut „adiuvantia extrinsecus" sive ut concomitantia"[23]). Eam ob causam multam artem dialecticam magnumque studium in id consumpsit, ut rectum et verum huius vitae bonorum faceret ordinem gradusque recte disponeret. Atque ad ipsam summam illam et „supernaturalem" felicitatem homo in hac iam vita, cum in meditatione et contemplatione divinarum rerum speciali dei gratia constitutus „per raptum" feratur, per aliquod tempus mystice potest attingere[24]). Deinde beate in terra vivendi ratio potissima et optima invenitur in speculatione et consideratione scientiarum, tum in vita activa, id est in possessione et usu virtutum moralium et in operatione bonorum operum, ad quae denique requiritur societas amicorum, a quibus homo incitetur et iuvetur, et communitas hominum, quibus bene faciat[25]). Postremo autem et ad contemplationem divinarum

[22]) De Thomae gente vide Werner Bd. I p. 1—4. Duos deviginti iam annos nato ab Innocentio IV a. 1244 munus abbatis monasterii Casinensis oblatum, deinde ab Urbano IV summae dignitates ecclesiasticae et ipsa sedes archiepiscopalis Neapolitana ultro propositae, sed ab illo sunt repudiatae.

[23]) Tom II p. 18, 1. 2. q. 4 a. 1.

[24]) Tom. III. S. T. 2. 2. q. 180 p. 602: „Utrum vita contemplativa secundum statum huius vitae possit pertingere ad visionem divinae essentiae?" Ipse Thomas hac summa in terra felicitate, quae est „per raptum" saepius delectatus est. Cf. Werner I, p. 847.

[25]) De vita activa et contemplativa vide tom. III p. 598—611.

rerum et ad speculationem scientiae et ad virtutes bonis operibus adhibendas requiruntur corporis bona valetudo, atque ad exteriorem victum et operationem res necessariae[26]).

In cultu igitur et veneratione dei, in contemplatione divinarum, in cognitione humanarum rerum, in activa virtutem vita, in societate amicorum, in commercio hominum, in commodis denique valetudinis et sufficientis ad opera et vitam copiae Thomas beate in hac terra vivendi causas ponit et condiciones.

Hoc ordine bonorum animi, corporis aliorumque constituto, Thomam non in id periculum incidisse cognoscimus, quo nostrae aetatis theologi et philosophi ecclesiae catholicae interdum fortasse deferuntur, uti duplicem hominis finem in eandem accipiant sententiam illi quidem, qua Thomas, verba contra eiusmodi adhibeant, quibus illis, qui supernaturalem christianum finem non appetunt vel non admittunt, non satis occurritur. Adeo minus vero doctor angelicus huic de fine hominis tradendi modo convenit, ut nusquam duos fines inter se separatos esse dicat, omnia ad unum illum ultimum referat, nec ratione perfectae beatitudinis neglecta minorem et imperfectam huius vitae felicitatem haberi posse contendat.

Neganti vero, hanc felicitatis doctrinam ad politicam propius accedere, concedimus, si de recenti res politicas tractandi ratione agitur; ad Thomae autem doctrinam, quae dicta sunt, adduci debuisse, si librum de regimine principum inspexerit, facile unus quisque sibi persuadebit[27]). Maximi vero momenti et, quae nostrae de politicis et socialibus Thomae praeceptis commentationi deesse non debeant, sunt illa placita, quippe quibus doceatur, in ultimi, quem demonstravimus, finis aeternaeque post mortem salutis ratione sola ecclesiae super civitates dominationis radicem inesse[28]). Et cum communis fere recentium ante concilium Vaticanum theologorum catholicorum sententia sit, ecclesiam et civitatem utramque per se exsistere neque ab altera dependere, iam concipitur,

[26]) Hic bonorum ordo saepius invenitur, optime tom. II, q. 1—4 colligitur.

[27]) Tom. XVI. opusc. 16 de reg. princ. lib. I c. 8 p. 231: de praemio regis disserens breviter totam de beatitudine doctrinam affert.

[28]) Ibid. p. 236 et 237 lib. I c. 14 et 15.

illam de fine doctrinae differentiam non mere esse philosophicam aut theologicam rixam, sed ex hac origine deduci omnes ecclesiae Romanae pontificiaeque sedis vindicias[29]).

VI.

De condicione naturae humanae.

(Justitia originalis, peccatum, reparatio.)

Et quoniam illi, qui aliquam rem regendam susceperit, ejus rei condicionis specialis ratio propriique status diligentissima cura est habenda, quae in Thomae operibus, cum de fine ipso iam sit actum, de hominis ad eum finem adducendi et tendentis indole facultatibusque reperiantur, indagari oportet. Illa eo minus dubitamus promere, etiam quae Thomas ut theologus statuit, quod post longum tempus et a viris evangelicis, qui idem vocantur scholastici, et ab ipso Pufendorfio in literis et controversiis politicis haec contra illos, quorum auctorem Philippum Melanchthonem esse putabat, sunt disputata[1]).

Atque negari non potest, de ultima hominis felicitate et de imperfecta, quae hac in vita iam haberi potest, quo sublimiora et praestantiora Thomisticae fidei edantur dogmata, eo magis de praesenti humanae naturae condicione et fortuna affligentia, deprimentia, molesta, odiosa videri. Etenim homo finem illum, cum naturam excedat, nec naturali sua vi nec superioribus spiritibus adiuvantibus potest adipisci, sed solo et ipso deo directe et immediate interveniente atque agente consequitur[2]). Haec autem dei actio, si rei summa consideratur theologice, in eo consistit, uti

[29]) Cf. quamlibet bullam pontificiam vel constitutionem, exempli gratia epistolam encyclicam de die VIII Dec. 1864.

[1]) Vide Pufendorfii specilegium controversiarum circa ius naturae, praecipue cap. II.

[2]) Tom. II p. 23 ss. s. t. 1. 2. q. 5 de adeptione beatitudinis art. VI. Utrum homo consequatur beatudinem per actionem alicuius superioris creaturae: „Homo beatus fit solo deo agente.“

hominis intellectum, qui naturali per se suo lumine est praeditus, „in patria coelesti“, ad sui „visionem per essentiam“ aptum disponat „lumine gloriae“[3]) infuso. Quod ut recipere valeat, alio iam modo supernaturali homo debet esse praeparatus et institutus, id est, debet esse in habitu „supernaturali gratiae sanctificantis et iustificantis“[4]). Hanc autem gratiam sanctificantem et gratum facientem primo homini, qui a prima origine ad eam recipiendam fuerat institutus, ut dei in se haberet non solum vestigium et imaginem, qua naturalem dei similitudinem per conformitatem „mentis et virtutis innatae“ redderet[5]), sed super hanc acciperet gratiae conformitatem, deus creator statim creationis actu sive paulo post donavit[6]). Imago igitur dei in homine naturalis, quam exponi planius pleniusque declarari necesse est, consistit in omnibus naturae ipsius facultatibus integris inviolatisque, in intellectu acri, claro, distinguente, perfecto: „Primus homo sic institutus est a deo, ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui; et haec sunt omnia illa, quae virtualiter exsistunt in primis principiis per se notis, quaecumque scil. naturaliter homines cognoscere possunt“[7]); in voluntate bona, recta, iusta, animo ne minime quidem repugnante. Omnes hominis in hac prima aetate appetitus

[3]) Tom. V c. g. lib. III c. 53 p. 199. Quod intellectus creatus aliqua influentia luminis indiget ad hoc ut decem per essentiam videat.

[4]) Tom. II p. 432. q. 109. art. 5. „Utrum homo possit mereri vitam aeternam sine gratia“ et p. 456 q. 114 art. 2.

[5]) Tom. I p. 373 q. 93 art. 5: „In homine invenitur dei similitudo per modum imaginis secundum mentem, sed secundum alias partes eius per modum vestigii“ p. 396 art. 4 imaginem dei in homine tripertitam ita exponit: „Unde imago dei tripliciter potest considerari in homine: uno quidem modo, secundum quod habet homo aptitudinem naturalem ad intellegendum et amandum deum, et haec aptitudo consistit in ipsa natura mentis .... alio modo, secundum quod homo actu vel habitu deum cognoscit et amat, sed tamen imperfecte; et haec est imago per conformitatem gratiae; tertio modo, secundum quod homo deum actu cognoscit et amat perfecte, et sic attenditur imago secundum similitudinem gloriae .... Prima ergo imago invenitur in omnibus hominibus, secunda in iustis tantum, tertia vero solum in beatis.“

[6]) Thomas favet sententiae, qua „pura naturalia“ sine gratia numquam fuisse dicunt doctores, p. 378, q. 95. art. 1.

[7]) Ibid. p. 377, art. III.

facile, sicut haec ipsa deo, ita rationi erant subiecti, ita ut nulla carnis et spiritus, corporis et animi, sensuum et rationis adesset repugnatio[8]). Quae imago dei in homine secundum conformitatem ipsius naturae data est et ordinata respectu alterius supernaturalis imaginis recipiendae, quippe qua demum superaddita, altior et perfectior evaderet, ita ut gratia dei sanctificante indutus ornatusque hac iustitia originali satis dignus esset, qui ad „dei visionem per essentiam", ad „imaginem gloriae", pervenire posset. Atque in ea primus homo, sicuti omnem naturalem scientiam habuit simul cum naturali imagine, ita etiam supernaturalium rerum tenuit notitiam „per species infusas"[9]). Et ut tandem ad cognitionem et contemplationem divinarum et naturalium rerum accederet virtutum aliarum occasio, fieretque facultas scientiae tradendae aliis beneque faciendi, — in his enim cernebamus finem minorem hominis, — eum sociabilem et socialem, societatem in ipsa eius natura recondens, instituit[10]). Postremo vero deus, ne exteriora bona deessent, locum iucundissimum, saluberrimum, uberrimum paravit[11]), ubi homo habitaret, operaretur, seque donis naturalis et supernaturalis imaginis praestaret dignum.

Liberi arbitrii namque et libertatis, quae est propria eadem hominis facultas[12]), spectandae ne abesset meritum, quo revera omnibus illis naturae gratiaeque donis se respondere ostenderet, erat relinquenda occasio. Quare deus homini proposuit condicionem, utrum celebre illud praeceptum observaret necne, quo deus:

---

[8]) Ibid. p. 379 et 380, q. 95 art. 2 et 3.

[9]) Tom. I p. 375 q. 34 art. 1. „Cognoscebat deum quadam altiore cognitione, quam nos nunc cognoscimus. Et sic quodammodo eius cognitio media erat inter cognitionem praesentis status et cognitionem patriae, qua deus per essentiam videtur." Cf. art. 3: „De his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitae humanae secundum statum illum."

[10]) Tom. I p. 384, q. 96 art. 4. Utrum homo in statu innocentiae homini dominabatur. „Homines in statu innocentiae socialiter vixissent." Cf. q. 92 art. 1. ad 2. „Defuisset enim bonum ordinis in humana multitudine, si quidem per alios sapientiores gubernati non fuissent."

[11]) Tom. I p. 392 ss. „de loco producti hominis, qui est paradisus."

[12]) Tom. I p. 325 q. 84 de libero arbitrio.

„Ex omni", inquit, „ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas"[13]). Quo periculo cum homo non esset probatus, magna inde series humani nunc generis deducitur malorum, apparetque et perfectam et imperfectam beatitudinem, quam e Thomae operibus collegimus, contingi multo esse difficilius, quam ante peccatum. Imaginem enim dei supernaturalem sanctitatis illius et originalis iustitiae, qua ad „visionem dei per essentiam" „lumine gloriae" superaddito fuerat dispositus, praeceptum illud transgressus amisit homo primus, et quanto maiore antea animae puritate ac pulchritudine deo placuerat, quo praestantiore antea floruerat scientia divinarum et humanarum rerum, quo meliore ordine omnium facultatum atque appetituum usus fuerat, eo magis nunc iram et offensionem dei creatoris meritus peccato commisso displicet, ita ut omni „lumine gratiae" destitutus, solo munitus naturae suae vi eaque minuta, debilitata, deficiente, repraesentet deteriorem, depravatam, deformem dei imaginem. „Bonum naturae humanae potest tripliciter dici: primo ipsa principia naturae, ex quibus ipsa natura constituitur et proprietates ex his causatae, sicut potentiae animae et alia huiusmodi. Secundo, quia homo a natura habet inclinationem ad virtutem . . . . . ipsa autem inclinatio ad virtutem est quoddam bonum naturae. Tertio modo potest dici bonum naturae donum originalis iustitiae, quod fuit in primo homine collatum toti humanae naturae. Primum igitur bonum naturae nec tollitur nec diminuitur per peccatum. Tertium vero bonum totaliter est ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturae, scil. ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum"[14]).

Neque enim haec dei imago per „naturae conformitatem" remansit in homine integra aut inviolata, immo intellectus debilitatus et obscuratus, voluntas perversa et depravata: homo in peccatum lapsus his quatuor laborat vulneribus naturae, ignorantia atque infirmitate, malitia ac concupiscientia. „Sunt autem quattuor po-

---

[13]) Genesis II, 16 et 17.

[14]) Tom. II p. 209 q. 85 art. 1. utrum peccatum diminuat bonum naturae.

tentiae animae, quae possunt esse subiecta virtutum . . . . scil. ratio, in qua est prudentia, voluntas, in qua est iustitia, irascibilis, in qua est fortitudo, concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiae; in quantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiae; in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; in quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiae. Sic igitur ista quattuor sunt vulnera inflicta toti humanae naturae ex peccato primi parentis[15]).“ Sicut ratio et intellectus antea scientia naturali et supernaturali vigens voluntasque deo obediens corporis appetitiones omnes tenuit subiectas, ita post defectionem animae a creatore per inobedientiam factam, ipsa rursus dominio et corporis et naturae ceterae facili destituta est. Denique, natura hominis rationalis et libera non penitus illa quidem ex peccato commisso destructa sive perdita sive sublata, in talem vero statum corruptum, violatum, sauciatum delata et delapsa est, ut nullo modo possit beate vivere homo, etiam si non consideratur beatitudinis perfectae ratio. „Subtractio autem originalis iustitiae habet rationem poenae, sicut etiam subtractio gratiae. Unde etiam mors et omnes defectus corporales consequentes sunt quaedam poenae originalis peccati“.[16]) Quod quam vere ex Thomae sententia dictum sit, optime cernitur ex illa quaestione, qua de poenis primorum agit parentum[17]): Mortis metu memoriaque angitur, stimulis conscientiae agitatur, confusione et carnis concupiscentia conficitur homo, cui specialis poena „anxietas“ laboris, sterilitas terrae, alia impedimenta multa imponuntur, quae munus illius necessaria vitae procurandi reddant difficilius. Mulieri imputatur propria poena dominatio viri et

15) Ibid. p. 311 a. III.

16) Ibid. p. 312 art. V. Ex hoc loco consequitur, etiam a Thoma originalem iustitiam et gratiam separatas esse notione; Möhler Symbolik p. 31 contrarium opprobrium obiicere videtur Thomae.

17) Tom. III p. 553. S. T. 2. 2. q. 164 de poenis peccati primi hominis; a. 1. utrum mors sit poenae peccati primorum parentum; art. 2. utrum convenienter particulares poenae primorum parrentum determinentur in scriptura.

partus aerumnae adauctae. Quae vindicta uti statim post peccatum de homine sumeretur, statim e loco voluptatis in terram spinis et tribulis scatentem et inhabitabilem fere eiectus est homo. Et inde omnium in hac terra nascentium hominum condicio miserrima, aegritudines et tristitiae plurimae, morbi et labores difficillimi gignuntur.

Neque tamen maximam et gravissimam poenam deus creator homini delapso imposuit. Quem cum statim ita punire posset, ut numquam imaginis supernaturalis reparandae aut summae „in visione dei per essentiam“ felicitatis consequendae occasionem relinqueret, — sicuti angelis illis praevaricatis accidit, — tamen iustitiae ulciscentis loco usus denuo clementia ac venia, non omni ex parte dereliquit tantamque denuo in eum adhibuit bonitatem et benignitatem, ut ipse delicti commissi piaculum praestaret, cum filius dei de coelo in terram missus et humilis obediensque factus usque ad mortem crucis e pernicie genus humanum repararet, deique in amicitiam ex inimicitia, quam contraxerat, restitueret. Quo in salutis novae munere ita institutum est, ut imago dei supernaturalis restitueretur, de ceteris autem vulneribus ex peccato naturae humanae inflictis et de reliqua condicionis miseria nihil mutaretur, nisi ut remedia vulnerum aliquo modo in hac vita sanandorum instituerentur sacramenta Christi, et fortunae adversae minuendae sublevandaeque facultas vitae sanctitas ostenderetur. Ex remediorum autem usu et ratione, qua nova doctrinae Christi praecepta et res divinitus ad salvandos singulos totumque genus humanum institutas observaturus sit homo, denuo dependet, utrum supernaturalis illa imago permaneat in homine, quin etiam utrum redeat (scil. sacramento baptismi), et homo ad ultimum finem ductus in patria coelesti ad lumen naturae suae numquam penitus amissum et ad „lumen gratiae“ per redemptorem restitutum redintegratumque et, quae est summa res vitae christianae, praeservatum, custoditum, auctum virtutibus meritisque, etiam „gloriae lumen“ accipere mereatur. Namque etiam post redemptionem homo, quia liber creatus est, necessitate naturae sui iuris permanet, et uti libertatis spectandae fiat facultas, novo in discrimine constituitur; immo in multis versatur periculis, quibus probatus

spectatusque ultimam beatitudinem consequatur. In universum autem de toto hominis lapsi post redemptionem statu animadvertitur, humanam nunc condicionem esse magis impeditam, molestiorem, graviorem, difficiliorem, cum si facultas beatitudinis aeternae consequendae consideretur, tum si ratio humanae in hac vita fortunae habeatur[18]).

VII.
De virtutibus.

Quoniam autem post ipsam redemptionem ex doctrina christiana hominem in novo periculo ac discrimine constitutum facit Thomas Aquinas, duplicem iterum ad felicitatem praeparationis modum oportet observari, qui quidem ex parte hominis ad finem ultimum tendentis virtutum, ex parte dei ad eum ducentis legum ordo denominatur. De virtute igitur primum, etsi non totam Thomae doctrinam hic explicabimus, peculiaria tamen eiusmodi placita, quae ad societates hominum proxime accedunt, non esse neglegenda patet, si quis Thomae doctrinam in hac commentatione proponendam voluerit penitus percipere[1]).

Ac „virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam deus sine nobis in nobis operatur.“ Cuius definitionis, quam Augustinus de theologicis virtutibus edidit, ultima parte, „quam deus in nobis sine nobis operatur“, rescissa et relicta, omnem virtutem convenienter describi ponit Aquinas. „Causa autem efficiens virtutis infusae, de qua definitio datur,

[18]) Apparet, Thomam ut theologum in redemptionis causa saepissime et maxime immorari inque ea maxime excellere. Nos autem plura promere neque ad nostram intentionem conducit, neque opus est.

[1]) Cf. Abhandlg. der Berliner Academie der Wissenschaften 1846, p. 341 bis 354: „Ueber die Eintheilung der Tugenden bei Thomas v. Aquin.“ v. Aug. Neander. Eadem commentatio legitur in „Wissenschaftl. Abhandl. Neanders,“ herausgeg. von Jacobi 1851; non multum laudabilem eam esse iam Baur recensuit.

deus est, propter quod dicitur, quam deus in nobis sine nobis operatur. Quae quidem particula si auferatur, reliquum definitionis erit commune omnibus virtutibus et acquisitis et infusis[2])“. Virtutes autem, ut respondeant hominis supernaturali et naturali dei imagini, dividit primum in theologicas illas, sive infusas, fidem scil. et spem et charitatem, quas „deus in nobis sine nobis operatur“, sive quae homini „infunduntur“, sive „quae sola divina revelatione in scriptura traduntur[3]).“ Secundum autem similitudinem naturalis in homine imaginis dei, ex condicione naturae ad perfectionem erudiendae inveniuntur virtutes intellectuales, quibus „intellectus speculativus perficitur ad considerandum verum“: intellectus ipse, qui est „habitus principiorum perficiens intellectum ad considerandum eorum quae sunt per se vera et nota“; sapientia „quae considerat altissimas causas et iudicat et ordinat de omnibus, quia iudicium perfectum et universale haberi non potest, nisi per resolutionem ad primas causas;“ scientia, quae perficit rationem „ad id, quod est ultimum in hoc vel in illo genere cognoscibilium[4]).“

Deinde virtutes sunt positae in more hominis, „secundum quod mos significat quandam inclinationem naturalem, vel quasi naturalem ad aliquid agendum[5]).“ Hae autem morales virtutes, quae consistunt in perfectione intellectus practici et voluntatis, ex Aristotelis doctrina enumerantur omnino undecim[6]), sed Ambrosio auctore ad

[2]) Tom. II p. 190 q. 55 a 4. „Utrum virtus convenienter definiatur?“

[3]) Ibid. p. 215 q. 62 art. 1. „Utrum sint aliquae virtutes theologicae“? art. 2 „utrum virtutes theologicae distinguantur ab intellectualibus et moralibus.“ art 3 „utrum convenienter fides, spes et charitas ponantur virtutes theologicae?“

[4]) Ib. p. 195 ss. q. 57 de dinstinctione virtutum intellectualium, art. 3. „Utrum sint tantum tres habitus intellectuales speculativi scil. sapientia, scientia et intellectus?“

[5]) Ibid. p. 200 q. 58 art. 1.

[6]) Ibid. p. 210 q. 60 art. 5. „Sic igitur patet, quod secundum Aristotelem sunt decem virtutes morales circa passiones, scil. fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, philotimia, mansuetudo, amicitia, veritas et eutrapelia, et distinguuntur secundum diversas materias vel secundum diversas passiones, vel secundum diversa obiecta. Si igitur addatur iustitia, quae est circa operationes, erunt omnes undecim.“

quattuor reducuntur, quae cardinales vocantur: sunt autem temperantia et iustitia et prudentia et fortitudo[7]). Et quoniam moralium virtutum alteras „circa passiones", alteras „circa operationes" versari posuit Thomas, prope ad rem socialem, quam intendimus, accedit. Quamquam enim omnis virtus moralis habet aliquas operationes bonas, „quarum est productiva", tamen, cum aliae proxime et maxime animos bonos voluntatesque honestas reddant, et solum considerentur „secundum commensurationem ad operantem", et comparetur quoque „operatio ad virtutem moralem, sicut materia, circa quam est", oportet „alias esse virtutes morales circa operationes et alias circa passiones[8])." Virtutum autem, quae circa operationes sicut propriam materiam sunt, Thomas affert exempla religionem, „per quam redditur debitum deo", et pietatem, „per quam redditur debitum parentibus vel patriae", et gratiam, „per quam redditur debitum benefactoribus" et sic de aliis, tum summa diligentia virtutem iustitiae exponit, in cuius „quadam generali ratione, quae attenditur secundum debitum ad alterum, ceterae circa operationes virtutes conveniunt[9])." Et propter hoc „iustitia et partes eius sunt circa operationes sicut circa propriam materiam", immo „semper est ad alterum[10])", „et bonum et malum in eius operationibus attenditur secundum se ipsas, qualitercunque homo afficiatur ad eas, in quantum scil. bonum in eis et malum accipitur secundum rationem commensurationis ad alterum[11])."

Justitiae porro virtutem Thomas Aquinas Aristotelem iterum secutus, — id quod eum saepius de iustitia, quam de aliis rebus solitum esse iam Prantl[12]) animadvertit — inter alias virtutes non solum morales peculiari modo eminere, cum inter cardinales, quae dicuntur referret, sed etiam ex his ipsis praecipuam esse declaravit cum verbis[13]), tum etiam arte et ratione alterius, membri summae theo-

[7]) Ibid. p. 211 q. 61 de virtutibus cardinalibus.
[8]) Ibid. p. 207 q. 60 art. 2. [9]) Ibid. p. 208 art. 3.
[10]) Tom. III p. 214 s. t. q. 58 art. 2: utrum iustitia semper sit ad alterum.
[11]) Tom. II q. 60 art. 2.
[12]) Bluntschli's Staatswörterbuch, 9. Bd. p. 256.
[13]) Tom. III p. 220 q. 58 a. 12: Utrum iustitia praeemineat inter omnes virtutes morales.

logicae partis secundae exponendi, ubi centum octoginta novem quaestionum, quibus de omni morali speciali agit, sexaginta quattuor tribuit iustitiae[14]). Ex iustitiae autem doctrina id maxime huc ad rem socialem spectat, quod Thomas eam bipartitam tradit, particularem et generalem. Cum enim ordinet iustitia modum ac rationem vivendi in societate humana, prior exsistit ordo „ad alium singulariter consideratum", et de hoc est „iustitia particularis", cuius „materia specialis sunt ea, quae pertinent ad communicationem vitae", „prout scil. secundum exteriores operationes unus homo alteri coordinatur[15])."

Particularis haec iustitia, quae dicitur, denuo dividitur a Thoma in distributivam et commutativam; commutativa dirigit „ordinem unius privatae personae ad aliam", et „consistit in his, quae mutuo fiunt inter duas personas ad invicem". Hanc commutativam ab uno quoque patet posse haberi; distributivam contra posuit Thomas rectricem ordinis „totius communitatis ad singulas personas", quippe quae dispertiatur bona communia „secundum proportionalitatem"; eius actum solum pertinere ad praesidentem communibus bonis, attamen etiam in subditis esse, quibus dispertiatur, „in quantum scil. sunt contenti iusta distributione[16])".

Praeter has, quas commemoravimus iustitiae species, aliam distinguit Thomas, quam vocat „generalem sive legalem". Eius notio et definitio imprimis hoc loco premenda esse videtur, quippe qua bene percepta probeque intellecta multae res, quae ab hodierna de societate, praesertim de republica doctrina abhorreant, a Thoma autem Aristotele auctore proponantur, possint explicari et intellegi. „Omnes[17])", inquit Thomas, „qui sub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem sicut partes ad totum;

[14]) Tom. III p. 213—426, q. 58— q. 122. Ex his iam apparet, omnia hominis in alterum officia et vitia ratione iustitiae his quaestionibus tractari.
[15]) Ibid. p. 217 q. 58 art. 7: „Utrum sit aliqua iustitia particularis praeter iustitiam generalem"; art. 8: „Utrum iustitia particularis habeat materiam specialem".
[16]) Tom. III p. 227 ss. q. 61 art. 1: „Utrum convenienter ponantur duae species iustitiae, scil. commutativa et distributiva."
[17]) Ibid. p. 216.

pars autem id, quod est, totius est; unde et quodlibet bonum partis est ordinabile in bonum totius. Secundum hoc ergo bonum cuiuslibet virtutis sive ordinantis aliquem hominem ad se ipsum, sive ordinantis ipsum ad alias aliquas personas singulares est referibile ad bonum commune, ad quod ordinat iustitia. Et secundum hoc actus omnium virtutum possunt ad iustitiam pertinere, secundum quod ordinat hominem ad bonum commune. Et quantum ad hoc iustitia dicitur virtus generalis; et quia ad legem pertinet, ordinare in bonum commune ...., inde est, quod talis iustitia praedicto modo generalis dicitur iustitia legalis, quia scil. per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune". Ne quis vero istam generalem iustitiam sive legalem confundat cum distributiva, Thomas addit, „quia per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune", quibus verbis declarat, non solum principem posse eam habere, sed unumquemque hominem, si actiones suas ordinet ad bonum commune; expressis vero verbis hanc dubitationem, quae intercedat de similitudine iustitiae distributivae et legalis, tollit, cum dicat: „Ad iustitiam legalem pertinet ordinare ea, quae sunt privatarum personarum in bonum commune; sed ordinare e contrario bonum commune ad particulares personas per distributionem est iustitiae particularis[18])". Hanc autem iustitiam generalem sive legalem invenimus esse fontem et originem uberem, unde doctrinae, constantiae, disciplinae lege specieve illa de societatibus humanis praecepta deducantur, quibus libertas conscientiae, cultus, literarum, doctrinae, scholae, sermonis, alia vetantur. Nam si omnium virtutum actus ad bonum commune sunt referendi et ordinandi, imprimis theologicarum actus, qui consistunt in professione verae fidei cultuque dei secundum unum et verum ritum parando, atque omnia, quae ad ea praeparant animos hominum, sicut tradendi, docendi, discendi modus et materia, iure ab illis, qui reipublicae curam summam gerunt, praecipiuntur, quae autem repugnant, iure meritoque vetantur.

Sed et aliam virtutem cardinalem, prudentiam[19]) scilicet, necesse est adducamus ad Thomae Aquinatis de societatibus doctrinam percipiendam. Prudentia enim, quae cum virtutibus intellectualibus convenit in eo, quod „directe pertinet ad vim cognoscitivam", et „proprie est in ratione", differt ab illis eo, quod est circa „contingentia" et „agenda" sive „agibilia", et definitur „recta ratio agibilium[20])". Cui cum adiungantur eubulia, „quae est bene consiliativa", et synesis, „quae est iudicativa de agendis secundum communem legem", et gnome, „quae est iudicativa secundum ipsam rationem naturalem in his, in quibus deficit lex communis[21])", tamen praecipindi actus attribuuntur proprii et peculiares, qui quidem consistunt in applicatione consiliatorum et iudicatorum ad operandum[22])". Una in re ab iustitia differt formaliter, quod iustitiae actiones solum considerantur „secundum commensurationem ad alterum", prudentia contra et bonum proprium et alterius sive communitatis respicit, et ipsi prudenti, quid et quo pacto „circa passiones" suas et circa „operationes ad alterum sive communitatem" debeat agere, praescribit. Quia ergo ad prudentiam pertinet recte consiliari, iudicare et praecipere de iis, per quae pervenitur ad propositum finem, manifestum est, prudentiam non solum ad bonum privatum unius hominis, sed etiam ad bonum commune societatis respicere[23]). „Unde necesse est, quod prudentiae differant specie secundum differentiam horum finium, ut scil. una sit prudentia simpliciter dicta, quae ordinatur ad bonum proprium, alia autem oeconomica, quae ordinatur ad bonum commune domus vel familiae, et tertia politica, quae ordinatur ad bonum commune civitatis vel regni[24])". Illa autem quaestione, qua de partibus subiectivis prudentiae agit[25]), Thomas ita discernit prudentiae species: regnativa, quae competit regi et cuicunque rempublicam regenti et principanti, politica, quae est rectitudo regiminis in subditis, „per quam se ipsos dirigant in obediendo principantibus"; oeconomica, et militaris, „quae ordinatur ad tuitionem boni

[18]) Tom. III p. 223 q. 61 art. 1 ad 4.

[19]) Tom. III p. 179—210 agitur de prudentia, q. 47—57.

[20]) Ibid. q. 47 art. 1, 2, 3.

[21]) Tom. II p. 199 q. 57 art. 4; et Tom. III p. 194 ss. q. 51 art. 1—4.

[22]) Tom. III p. 182 q. 47 art. 8: Utrum praecipere sit principalis actus prudentiae.

[23]) Ibid. p. 183 art. 10.

[24]) Ibid. p. 134 art. 11.

[25]) Ibid. p. 192 q. 50 art. 1, 2, 3, 4.

communis". Neque hoc loco possumus facere, quin denuo imperfectam Thomae et fragilem rationem agendi reprehendamus, cum Aristotelis non christiani notiones saepius ad christianam vitam non satis accurate transferat. Quis enim ignorat, ad prudentiam pertinere novam in doctrina christiana speciem, quae respondeat necesse sit „regimini animarum", quam prudentiam pastoralem et episcopalem sive pontificiam vocari conveniat? Quam docendi temeritatem Thomas certe non commisisset, si eam, quam profert prudentiae divisionem non ad Aristotelicam scientiae moralis distributionem, christianae et catholicae sententiae minime satisfacientem, ut supra demonstravimus, adaptavisset sive retulisset, magisque, quomodo Aristotelis praecepta ad medii aevi instituta et auctoritatem et opiniones se haberent, secum reputavisset.

Clarius vero etiam et perspicacius, quid doctor angelicus de ratione virtutum ad societatem hominum senserit, inde potest intellegi, quod in alia divisione virtutes refert esse exemplares, purgati animi, purgatorias et politicas[26]). Quam virtutum denominationem distinctionemque a Plotino cum accepisset auctor noster, ne quis politicas virtutes tantum eo patere sentiret, quo recenti sententia politicus videtur coarctari, haec: „Est enim", inquit, „considerandum, quod ad politicas virtutes, secundum quod hic dicuntur, pertinet non solum bene operari ad commune, sed etiam bene operari ad partes communis, scil. ad domum et aliquam singularem personam"[27]). Aliis verbis ut idem dicamus, politicas virtutes Thomas omnes illas denominat, et intellegit, quae ad socialem hominum convictum pertinent.

[26]) Tom. II p. 214 q. 61 art. 5.
[27]) Ibid. ad 4.

VIII.
De legibus.

Alteram igitur hominis ad finem tendentis et perducendi praeparationem ex parte dei ipsius, qui esset finis, legibus fieri diximus. Et quoniam uniuscuiusque societatis vel singularis rei regendae bonus modus terminatur eo, quod non ex libidine sive, quod melius utique, non iustum et consentaneum esset, ex arbitrio aut licentia infinita, sed illis legibus, regulis, normis gubernatur, quae eius propriae peculiaresque sunt constitutae, hoc loco, quas Thomas qualesque eas proposuerit, inquiri opus est. Id eo maiore iure licebit exponere, quo minore diligentia ceteri, qui de politica Thomae scripserunt, hanc legum rem tractarunt[1]), et maiore alii laude immerita quidem et iniusta hanc doctrinae Thomisticae partem ornaverunt[2]). Praeterea hac in operis nostri materia, id quod prius iam monuimus, facillime apparebit, quantopere Thomas scientiam ecclesiasticam, quam poposcimus talem, quae ageret de ecclesia, debuerit tradere, quaeque inutilitas atque offensa atque defectio illa neglecta cum in aliis rebus tum in hac legum parte occurrat. Quid enim non accusemus Thomam, quod in legibus disputandis ut, prae ceteris unum hoc anticipemus, legum ecclesiasticarum, quas doctrinae suae saepius originem fontesque adhibet, neque mentionem neque locum faciat?

[1]) Contzen de legibus nihil profert in libro suo, „Zur Würdigung des Mittelalters mit bes. Beziehung auf die Staatslehre des h. Thomas." Baumann quaedam ex Thoma conquisita vertit in libro saepius citato p. 166 ss., sed ab illo neque omnia neque praecipua neque ratione aut iudicio aut comparatione adhibitis, — quod non proposuerat sibi Baumann, — disputata esse arbitramur. Neque multum Feuguerai satisfecit huic rei gravissimae, sed legis humanae tantum expositionem exilem demonstravit.

[2]) Cf. Balmes, „der Katholicismus u. Protestantismus", aus dem Spanischen übersetzt von Hahn, Regensburg 1862. Kap. 71 II. Bd. p. 433. Cf. Theodor Meyer, „die Grundsätze der Sittlichkeit und des Rechts", Freiburg 1868 p. 27 et saepius, Jourdain tome II p. 451. Delécluce, „Gregoire VII, Saint François d'Assise, S. Thomas d'Aquin". Paris 1844, t. II p. 267. Huius deinde verba ipsa transcripsit Hörtel: „Thomas v. Aquin", Augsburg 1846, p. 161.

Atque doctor angelicus, sicuti hominem a deo profectum et ad deum reversurum esse, ita etiam a deo ipso aeque atque ceteras creaturas disponi regique docet ita quidem, ut deus omnes exsistendi agendique leges omnium rerum aeterna sua ratione non solum adhibeat, sed conceperit. Et cum legis notionem generalem eo modo definivisset, ut diceret: „nihil est aliud, quam quaedam rationis ordinatio ad bonum commune et ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata", aeternam dei omnia gubernandi rationem proposuit „legem aeternam." „Manifestum est", inquit, „supposito, quod mundus divina providentia regatur, quod tota communitas universi gubernatur ratione divina. Et ideo ipsa ratio gubernationis rerum in deo sicut in principe universitatis existens legis habet rationem. Et quia divina ratio nihil concipit ex tempore, sed habet aeternum conceptum ......, inde est, quod eiusmodi legem dicere oportet aeternam"[3]). Et alio loco hanc legem definit ita: „Lex aeterna nihil aliud est, quam ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum"[4]). Cum igitur omnis creaturae regulae, mensurae, leges[5]) ibi contineantur, etiam humanarum actionum insunt termini et ad hunc fontem eamque originem debent et possunt reduci omnes leges, sive quae dicuntur angustiore verbi notione leges divinae, sive quae sunt leges humanae. Eandem ob causam lex aeterna, in qua ceteras leges omnes inesse apparet, omnibus creaturis nota est, ita tamen, uti „secundum quod in se ipsa est, nisi solus deus et beati, qui deum per essentiam vident; sed omnis creatura rationalis ipsam cognoscat secundum aliquam irradiationem vel maiorem vel minorem; omnis enim cognitio veritatis est quaedam irradiatio et participatio legis aeternae"[6]). Huic porro legi aeternae, subiiciuntur omnia, et ea, quae necessaria[7]), et ea quae contin-

[3]) Tom. II p. 333 s. t. 1. 2. q. 91 a. 1. „Utrum sit aliqua lex aeterna?"

[4]) Ibid. p. 339 q. 93 art. 1. „Utrum lex aeterna sit summa ratio in deo existens"?

[5]) Etiam „irrationalium et inanimatarum," quod significat definitio cum addat „secundum quod est directiva omnium actuum et motionum."

[6]) Tom. II q. 339 art. 2. „Utrum lex aeterna sit omnibus nota".

[7]) Ibid. p. 340 art. 4. „Utrum necessaria et aeterna subiiciantur legi

gentia sunt, cum in rebus naturalibus iisdemque irrationalibus, tum in rebus humanis omnibusque intellectualibus. „Duplex est", inquit, „modus[8]), quo aliquid subditur legi aeternae .... uno modo, in quantum participatur lex aeterna per modum cognitionis, alio modo per modum actionis et passionis, in quantum participatur per modum interioris principii motivi. Et hoc secundo modo subduntur legi aeternae irrationales creaturae, „„in quantum moventur a divina providentia""[9]). Sed quia rationalis natura cum eo, quod est commune omnibus creaturis habet aliquid sibi proprium, in quantum est rationalis, ideo secundum utrumque modum legi aeternae subditur, quia et notionem legis aeternae aliquo modo habet „„secundum aliquam eius irradiationem vel maiorem vel minorem""[10]), et iterum unicuique rationali creaturae inest naturalis inclinatio ad id, quod est consonum legi aeternae. „„Sumus enim innati ad habendum virtutes"", ut dicitur in libro 2. Ethic. circ. princ. Uterque tamen modus imperfectus quidem est, et quodammodo corruptus in malis, in quibus et inclinatio naturalis ad virtutem depravatur per habitum vitiosum, et iterum ipsa naturalis cognitio boni in eis obtenebratur per passiones et habitus peccatorum. In bonis autem uterque modus invenitur perfectior, quia et supra cognitionem naturalem boni superadditur eis cognitio fidei et sapientiae; et supra naturalem inclinationem ad bonum superadditur eis interius motivum gratiae et virtutis".

Plura de aeterna lege ex iis, quae docuit Thomas, proferri, cum non ad rem nostram pertineat, opus non est; si vero quis quaesierit, utrum eius propria ea notio ac definitio, an ab alio

aeternae?" „Sic igitur legi aeternae subduntur omnia, quae sunt in rebus a deo creatis, sive sint contingentia, sive sint necessaria; ea vero, quae pertinent ad naturam vel essentiam divinam legi aeternae non subduntur, sed sunt realiter ipsa lex aeterna."

[8]) Ibid. p. 342 q. 93 art. 6 in c.

[9]) Haec verba non leguntur loco citato, sed remittit Thomas lectores ad articulum praecedentem. Nos quidem exhibemus inde verba ipsa maxime huc pertinentia, id quod ostenditur geminato signo. „„—""

[10]) Thomas hic revocat eiusd. quaest. art. secundum p. 339.

auctore desumpta, nomen aeternae legis aliaque, quae Thomas de ea proponit, ex Augustini libro „de libero arbitrio“ aliisque eiusdem operibus reperimus esse repetita. Quam ob rem probari non potest, Stahlium[11]) in historia philosophiae iuris aliosque[12]) legis aeternae expositionem sive inventionem Thomae nostro attribuisse, penitusque Augustino, ad quem Thomas ipse eam refert[13]), subtraxisse. Facere igitur non possumus, quin dicamus, non omnem laudem, qua praecipue viri catholici propter legem aeternam propositam eum cumulare solent, neque reprehensionem ullam, si quae iuste fieri possit, in Thomam solum redundare. Nec pure tamen Thomas nomen ab Augustino desumptum summae theologicae inseruit, sed revera ea laude afficitur, ut Augustinianam de lege aeterna exilem ieiunamque disputationem, quaeque hanc legem ad theologiam sacrae scripturae nondum adduxerit, solaque paene in abstrahendi vi de eis, quae humanitus mentis et corporis oculis percipiantur, versetur[14]), multo superari a Thoma dicamus, qui aeternae legis notionem vel potius nomen ab Augustino ex more philosophico propositum ad sacrae scripturae sententiam atque verba revocaverit redegeritque. Augustini autem differentia et Thomae in hac re maxime cernitur in ipsa legis aeternae definitione, cum ille: „Ut igitur breviter aeternae legis notionem, quae im-

[11]) Quod in Stahlii historia iuris philosophiae omnino nihil invenimus de Augustini legum doctrina earumque divisione et origine, valde miramur. Sex tantum paginae (Zweite Auflage 46—51) exstant, quibus de „civitate dei“ nonnulla disseruntur.

[12]) Ipsos catholicos viros Jesuitasque non invenimus aliter agere. Omnes, quos novimus, „aeternam legem“ demum ex Thomae summa theologica petunt explanantque. Cf. Walter, Naturrecht und Politik, Bonn 1863 p. 516 ff. de Augustino et p. 540 de Thoma. Meyer, die Grundsätze der Sittlichkeit und des Rechts, p. 24.

[13]) Tom. II p. 333 q. 91 a. 1. „Sed contra est, quod Augustinus dicit in t. I de libero arbitrio cap. 6 parum a medio ....“ Cf. p. 338 q. 93 a. 1. „Sed contra est, quod Augustinus dicit ibidem“. Cf. p. 339 art. 2 et p. 340 art. 3 et alios locos. In his autem appellat Thomas Augustinum suae doctrinae auctorem.

[14]) Cf. ipsius Augustini opera, tom. I ed tertia Veneta Bassani, 1807; de lib. arb. I cap. 5 et 6 p. 716 et 717 et cap. 15 p. 726.

pressa nobis est, quantum valeo, verbis explicem, ea est, qua iustum est, ut omnia sint ordinatissima“[15]); hic: „lex aeterna nihil aliud est, quam ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum“[16]). Et cum de hac Augustiniana legis aeternae notione, „qua iustum est, ut omnia sint ordinatissima“, ambigi possit, an differat ab ea lege, quae moralis vocatur in universum et naturalis, et saepius divina, et si, id quod Augustinus fecit, temporali et civili legi opponitur, aeterna incommutabilisque dicitur, nescimus an non peccare videamur, si pace Augustini Thomaeque admiratorum iis locis, quos Thomas tanquam suam legem aeternam probantes ex Augustino assumit[17]), comparatis, collatis, consultis collegimus, Augustini legem aeternam Thomaeque non esse prorsus eandem rem. Quare hac in lege exponenda auctori nostro accidisse paene videtur, id quod iis saepius accidit, qui ad suam sententiam sustinendam aliis utuntur auctoribus, ut nomen potius et verbum, quam Augustini sententiam assumeret. Utcunque autem res se habet, id iure meritoque valet, „aeternae legis“ nomen ab Augustino adhibitum materiamque inchoatam saltem, a Thoma tantopere amplificatam, adauctam, locupletatam, illustratamque esse, ut subtilitate atque speculatione doctor angelicus et Aristotelicus Platonicum superaret[18]). Quod vero Stahl reprehendit, cum obiiciat: „Es ist das (scil. die vorgebliche und unzulässige Spaltung zwischen der göttlichen Willenssubstanz und den göttlichen Rathschlüssen) aber auch philosophisch um so weniger begründet, als Thomas hier das

[15]) Aug. op. tom. I p 717.

[16]) Tom. II p. 339 q. 93 art. 1 in c.

[17]) Praeter locos iam citatos affert Thomas ex Augustino de vera relig. cap. 31, opp. tom. I p. 976 et de civ. dei l. 19 c. 12, ed. Tauchnit. tom. II p. 230. Maxime accedere nobis videtur huc ultima ex Augustino assumpta sententia ad Thomae legem aeternam, quia etiam legem naturae inanimatae complectitur. Mirum est in eo, quod Thomas non hunc potius locum, sed alium ex VI. capite de lib. arb. elegerit ad legem suam aeternam statuendam, quo tantum ethica lex ut aeterna legi temporali opponiter.

[18]) Huc pertinent omnia illa, quae de providentia divina disputat Thomas, qua inanimata, animalia, homines, spiritus, daemones regi gubernarique docet. Tom. V c. g. l. III c. 64—97.

ewige Gesetz oder die göttliche Willenssubstanz nicht einmal als das ewige Wesen oder die Heiligkeit Gottes, sondern als seinen Weltplan bezeichnet“ [19]), quodammodo probaremus, si haec adversus Augustinianam legem aeternam dicta essent. De Thomae autem lege aeterna ea ita revincuntur, ut eorum auctor has quaestiones percucurrisse tantum videatur, quod in eis haec leguntur: „Ea, quae pertinent ad naturam vel essentiam divinam, legi aeternae non subduntur, sed sunt realiter ipsa lex aeterna.“ „Cum voluntas dei sit ipsa essentia eius, non subditur gubernationi divinae, sed idem est, quod lex aeterna.“

Alia exstat lex, quae dicitur naturalis, quam Thomas multa cura exponit. Quam cum vere Prantl[20]) a christianis doctoribus ex Petri Lombardi tempore inventam et deductam esse ex celebri illo loco S. Pauli ad Rom II, 14 animadvertat, Thomas tamen non ex loco hoc ipso repetit, sed potius ex glossa ad eum ordinaria Walafridi Strabi adducit. „Utrum[21]) sit in nobis aliqua lex naturalis? Videtur quod non . . . . Sed contra est, quod Roman. 2 super illud „„cum gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt““, dicit glossa ordinaria, quod si non habent legem scriptam, habent tamen legem naturalem, qua quilibet intellegit et sibi conscius est, quid sit bonum et quid malum[22]).“ Lex autem naturalis quo modo se habeat ex

[19]) Stahl, Gesch. der Rechtsphilosophie, 2. Aufl. 1. Bd. p. 53. Idem hic auctor Thomam Aquinatem refert inter scriptores Germanicos, p. 52, quod quo iure fecerit, non perspicitur. Nam si quis alius medii aevi scriptor, Thomas hic Aquinas, cum imperatoriae stirpis fuisse dicatur, et propter doctrinam et propter sedes, ubi docebat, et cetera non Germanicis scriptoribus adnumerari potest.

[20]) In Bluntschli's Staatswörterbuch p. 254.

[21]) Tom. II p. 333 q. 91 a. 2.

[22]) Thomas in sua huius S. Pauli loci expositione tom. XIII p. 28 legem naturalem nominat quidem, sed legem dicit „naturae gratia reformatae.“ Ipsam naturae non reformatae legem, si ex scriptura repetit, Thomas laudat Psalm 4, 6 et Psalm 18, 10. Locus hic ex Walafrido Strabo adductus legitur in patrologiae cursu completo, ed. Migne tom. CXIV p. 476, et quodam modo variatur: „Etsi non habeat scriptam legem (scil. gentilis), habet tamen naturalem, qua intelligit et sibi conscius est, quid sit bonum et quid sit malum.“

Thomae sententia, ex iis quae de lege aeterna dicta sunt, intellegitur. Sed occurrit duplex naturalis legis in Thomae scriptis significatio, quae valde consideranda est: altera definitione lex naturalis amplectitur etiam irrationalia animalia, „quod participant rationem aeternam suo modo“, altera dicitur naturalis lex „participatio legis aeternae in creatura rationali, quia rationalis creatura participat eam intellectualiter et rationaliter“. Et haec appellatur ab auctore nostro propria lex, cum lex sit aliquid rationis; „in creatura autem irrationali non participatur (sc. lex aeterna) rationaliter; unde non potest dici lex nisi per similitudinem[23]).“ Magis etiam ab irrationabilibus creaturis hanc legis notionem retrahit in summa contra gentiles III c. 114: „Quum lex nihil aliud sit, quam quaedam ratio et regula operandi, illis solum convenit dari legem, qui sui operis rationem cognoscunt. Hoc autem convenit soli rationali creaturae. Soli igitur rationali creaturae fuit conveniens dari legem“ . . . . „Sola igitur rationalis creatura est susceptiva legis[24]).“ De lege igitur, quae est in rationali creatura, plenius est agendum. Atque hic non potest valere idem ac de lege aeterna. Quam cum cognoscat, „secundum quod in se ipsa est, solus deus“, omnis creatura rationalis „secundum aliquam irradiationem vel maiorem vel minorem“, naturalem suam legem homo, quia ipsa est irradiatio illa sive impressio sive participatio in homine secundum naturalem recipiendi facultatem, etiam secundum quod in se ipsa sit, cognoscit percipitque. Apud omnes autem homines est eadem haec naturae humanae lex „quantum ad prima principia communia et secundum rectitudinem et secundum notitiam, sed quantum ad quaedam propria, quae sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes ut in pluribus et secundum rectitudinem et secundum notitiam; sed ut in paucioribus potest deficere et quantum ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta . . . . et etiam quantum ad notitiam; et hoc propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu

[23]) Tom. II p. 334 q. 91 a. 2 ad 3.

[24]) Tom. V p. 254.

ex mala habitudine naturae, sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturae, ut refert Julius Caesar in libro VI de bello Gallico circa med[25]).“ Neque etiam haec lex naturalis, sicut una est apud omnes, mutari ullo modo potest[26]), si quidem mutationis nomine intellegitur, aliquid subtrahi posse ita, uti „aliquid desinat esse de lege naturali, quod prius fuit secundum legem naturalem, et sic, quantum ad prima principia legis naturae, lex naturae est omnino immutabilis. Quantum autem ad secunda praecepta, quae diximus esse quasi quasdam proprias conclusiones propinquas primis principiis, lex naturalis non immutatur, quin, ut in pluribus, est rectum semper quod lex naturalis habet; potest tamen mutari et in aliquo particulari et in paucioribus propter aliquas speciales causas impedientes observantiam talium praeceptorum, ut supra dictum est art. praeced. „„scil. de latrocinio Germanorum.““ Alia autem mutationis significatione, qua quid augeri vel promoveri dicitur, „nihil prohibet legem naturalem mutari, multa enim super legem naturalem superaddita sunt ad humanam vitam utilia tam per legem divinam, quam etiam per leges humanas[27]).“

Eadem distinctione „principiorum communissimorum et praeceptorum secundariorum magis propriorum,“ „quae sunt quasi conclusiones propinquae principiis“ solvit Thomas eam quaestionem, quam movet, „utrum lex naturalis a cordibus hominum possit aboleri“. Quantum enim ad illa lex naturalis „nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali; deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam vel aliquam aliam passionem .... Quantum vero ad alia praecepta secundaria potest lex naturalis deleri de cordibus hominum vel propter malas persuasiones (eo modo, quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias), vel etiam propter consuetudines et habitus corruptos sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam apostolus dicit Roman. I, 2[28]).“

Hanc porro legem naturalem quam late patere quidque amplecti voluerit Thomas, intellegitur ex huius difficilis rei tractatu q. 94 art. 2: „Utrum lex naturalis contineat plura praecepta, vel unum tantum?“ et art. 3: „utrum omnes actus virtutum sint de lege naturae[29])?“ „Praecepta legis naturae hoc modo se habent ad rationem practicam, sicut principia prima demonstrationum se habent ad rationem speculativam. Utraque enim sunt quaedam principia per se nota .... Primum autem in speculativis principium est, „„quod non est simul affirmare et negare, quod fundatur supra rationem entis et non entis, et super hoc principia alia omnia fundantur.““ In ratione autem practica est primum principium, quod fundatur supra rationem boni, quae est: bonum est quod omnia appetunt. Hoc est ergo primum praeceptum legis, quod bonum est faciendum et persequendum et malum vitandum, et super hoc fundantur omnia alia praecepta legis naturae, ut scil. omnia illa facienda vel vitanda pertineant ad praecepta legis naturae, quae ratio practica naturaliter apprehendit esse bona humana. Quia vero bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarii, inde est, quod omnia illa, ad quae homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit ut bona et per consequens ut opere prosequenda, et contraria eorum ut mala et vitanda. Secundum igitur ordinem inclinationum naturalium est ordo praeceptorum legis naturae. Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, prout scil. praelibet substantia appetit conservationem sui esse secundum suam naturam. Et secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quae vita hominis conservatur et contrarium impeditur. Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum ceteris animalibus, et secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturae, quae natura omnia animalia docuit, ut commixtio maris

25) Tom. II p. 345 q. 94 a. 4: „Utrum lex naturae sit una apud omnes?“
26) Ibid. p. 345 a. 5. „Utrum lex naturae mutari possit“?
27) Ibidem.

28) Ib. p. 346 art. 6: „Utrum lex naturae possit a corde hominis aboleri?“
29) Tom. II p. 343 et 334.

et feminae et educatio liberorum et similia. Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quae est sibi propria, sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoscat de deo, et ad hoc, quod in societate vivat, et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea, quae ad huiusmodi inclinationem spectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet conversari, et cetera huiusmodi, quae ad hoc spectant."

Et cum his terminis legis naturalis in universum significet, quo pateat et ubi appareat, refert eam Thomas quodammodo ad omnes alias actiones, quae ex ceteris legibus homini datis fiunt: „Si loquamur de actibus virtutum, in quantum sunt virtuosi, sic omnes actus virtuosi pertinent ad legem naturae ..... dictat enim hoc naturaliter unicuique propria ratio, ut virtuose agat. Sed si loquamur de actibus virtuosis secundum se ipsos, prout scil. in propriis speciebus considerantur, sic non omnes actus virtuosi sunt de lege naturae. Multa enim secundum virtutem fiunt, ad quae natura non primo inclinat[30])."

Nec plura inveniuntur in Thomae operibus de lege naturali. Summam autem laudem Thomas inde sibi parasse nobis videtur, quod ut theologus auctoritatem divinorum librorum et ecclesiae summopere propugnans rationi humanae non solum partem praeceptorum ipsorum, sed etiam quandam vim ad omnem virtutem totamque vitam christianis et catholicis moribus institutam attribuit[31]). Esse enim legem naturalem maxima cura contra eos, qui ea tantum iusta et recta esse dicant, quae lege positiva (sc. divina seu humana) praecipiantur, sustinet. Huic rei stabiliendae praeter locos iam commemoratos totum dat in summa contra gentiles caput 129. libri III: „Quod in actibus humanis sunt aliqua recta secundum naturam et non solum quasi lege posita." E sex argumentis ibi propositis unum hoc promendum elegimus. „Cuicunque", inquit, „est aliquid

[30]) Tom. II q. 94 a. 3: „Utrum omnes actus virtutum sint de lege naturae?"

[31]) Ex his, quae depromPsimus ex Aquinatis operibus, leniri debet Caroli de Kaltenborn iudicium, quo de medio aevo dicit: „Die letzte Quelle von Allem wird in der Offenbarung des alten, besonders aber des neuen Testamentes gesucht." cf. Kaltenborn, „die Vorläufer des Grotius," 1848, p. 42 ss.

naturale, oportet etiam esse naturale id, sine quo illud haberi non potest; natura enim non deficit in necessariis. Est autem homini naturale, ut sit animal sociale, quod ex hoc ostenditur, quod unus homo non sufficit ad omnia, quae sunt humanae vitae necessaria. Ea igitur, sine quibus societas humana conservari non potest, sunt homini naturaliter convenientia. Huiusmodi autem sunt: unicuique, quod suum est, conservare et ab iniuriis abstinere. Sunt igitur aliqua in humanis actibus naturaliter recta[32])." Grotii igitur aliorumque recentiorum doctorum merita non in eo consistunt, quod legem naturalem invenerunt, sed eo excellunt, quod omnia, quae illa ordinari possunt, diligentissime inquisiverunt et ad specialem scientiam redegerunt. Cuius studii contra Aquinatis tempore, cum et legis evangelicae et canonicae, qualem proposuerat ecclesia catholica, potestas inconcussa vigebat, nec causa nec occasio nec necessitas adfuit. Neque vero omnino secundum Thomae doctrinam e lege naturali et ratione humana omnia vera et salutaria et utilia praecepta deduci post peccatum possunt; sed ratione ex poena peccati debilitata legi naturali mixta est alia lex, quam dicit Thomas „fomitis", cuius in naturalem legem vim ita describit: „Est hominis lex, quam sortitur ex ordinatione divina, ut secundum propriam condicionem, ut secundum rationem operetur. Quae quidem lex fuit tam valida in primo statu, ut nihil vel praeter rationem vel contra rationem posset subrepere homini. Sed dum homo a deo recessit, incurrit in hoc, quod feratur secundum impetum sensualitatis, et unicuique etiam particulariter hoc contingit, quanto magis a ratione recesserit[33])."

Quam ab rem superaddi oportuit hominibus divinam legem, quae regeret vitam humanam. Rationes alias, cur necessaria sit homini lex divina praeter naturae, ex peccato defectionem Thomas Aquinas affert, cum dicat: „Si homo ordinaretur tantum ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret, quod homo haberet aliquid directivum ex parte rationis supra legem naturalem et legem humanitus positam, quae ab ea derivatur. Sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis

[32]) Tom. V p. 264.

[33]) Tom. II p. 336 q. 91 art. 6.

aeternae, quae excedit proportionem naturalis facultatis humanae .... ideo necessarium fuit, ut supra legem naturalem et humanam dirigeretur etiam ad suum finem lege divinitus data. Secundo, quia propter incertitudinem humani iudicii, praecipue de rebus contingentibus et particularibus contingit de actibus humanis diversorum esse diversa iudicia, e quibus etiam diversae et contrariae leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit, quid ei sit agendum et quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare[34]). Tertio, quia de his potest homo legem facere, de quibus potest iudicare. Iudicium autem hominis esse non potest de interioribus actibus, qui latent, sed solum de exterioribus motibus, qui apparent; et tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quod in utrisque actibus homo rectus exsistat. Et ideo lex humana non potuit cohibere et ordinare sufficienter interiores actus, sed necessarium fuit, quod ad hoc superveniret lex divina. Quarto quia, sicut Augustinus dicit in I. de libero arbitrio cap. 5 et 6, lex humana non potest omnia, quae male fiunt, punire vel prohibere, quia, dum auferre vellet omnia mala, sequeretur, quod etiam multa bona tollerentur et impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conservationem humanam. Ut ergo nullum malum improhibitum et impunitum remaneat, necessarium fuit, supervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohibentur“[35]). Quae lex divina, ratione

---

[34]) Saepissime loci scriptorum tum aliorum, tum theologicorum in falsam sententiam accipiuntur maleque adhibentur. Id imprimis huic Thomae nostro accidit apud plerosque, qui eum laudant. Schäzlerum vero idem commisisse, maxime hoc loco, valde miramur. Qui in libello novissimo, quem citavimus, in p. 9 „radicem theologicam moderni liberalismi“ in eo ponit, quod „is ecclesiam nempe detrectet sicut actuum humanorum infallibilem ac divinam regulam.“ Id sane quidem habeat sibi. Sed addit: „Eam autem esse ecclesiam divus Thomas duplici colligit ratione,“ et sequuntur argum. hoc sec. p. 9 et argum. prim. p. 10. Sed quaesumus, Thomista egregie! his argumentis nihil probari patet, nisi legem divinitus dari necesse esse, id quod omnes etiam protestantes concedunt. Sed actum humanorum ecclesiam infallibilem ac divinam regulam esse, id quod Schäzler a Thoma probatum esse vult, omnino ex his verbis colligi non potest.

[35]) Tom. II p. 334 art. 4 et 5.

temporum considerata, duabus formis hominibus est data, lex vetus et lex nova, sive lex Moysis et Evangelium, quae eandem inter se habent rationem, quam praeparatio et perfectio, initium et finis, quam puer et vir. „Omnes differentiae, quae assignantur inter novam legem et veterem, accipiuntur secundum perfectum et imperfectum .... Ideo lex vetus, quae dabatur imperfectis, id est nondum consecutis gratiam spiritualem, dicebatur lex „timoris“, in quantum inducebat ad observationem praeceptorum per comminationem quarundam poenarum et dicitur habere temporalia quaedam promissa ..... Lex autem nova, cuius principalitas consistit in ipsa spirituali gratia indita cordibus, dicitur lex „amoris“, et dicitur habere promissa spiritualia et aeterna .... Fuerunt tamen aliqui in statu veteris testamenti habentes caritatem et gratiam spiritus sancti, qui principaliter exspectabant promissiones spirituales et aeternas, et secundum hoc pertinebant ad novum testamentum. Similiter etiam in novo testamento sunt aliqui carnales, nondum pertingentes ad perfectionem novae legis, quos oportuit etiam in novo testamento induci ad virtutis opera per timorem poenarum et per aliqua temporalia promissa“[36]). Neque omitti possunt ea, quae de gravitate utriusque legis addit Thomas: „Circa opera virtutis, de quibus praecepta legis dantur, duplex difficultas attendi potest: una quidem ex parte exteriorum, operum, quae ex se ipsis quandam, difficultatem habent ad gravitatem; et quantum ad hoc lex vetus est multo gravior, quam nova, quia ad plures actus exteriores obligabat lex vetus in multiplicibus caerimoniis, quam lex nova, quae praeter praecepta legis naturae, paucissima superaddit in doctrina Christi et apostolorum; licet aliqua sint postmodum superaddita ex institutione sacrorum patrum; in quibus etiam Augustinus dicit esse moderationem attendendam, ne conservatio fidelium onerosa reddatur .... Alia difficultas est circa opera virtutem in interioribus actibus, puta quod aliquis opus virtutis exerceat prompte et delectabiliter, et circa „hoc difficile“ est virtus, hoc enim non habenti virtutem est valde difficile, sed per virtutem redditur facile. Et quantum

---

[36]) Tom. II p. 420 q. 107 art. 1 et 2.

ad hoc praecepta novae legis sunt graviora praeceptis veteris legis, quia in nova lege prohibentur interiores motus animi, qui expresse in vetere lege non prohibebantur in omnibus, etsi in aliquibus prohiberentur, in quibus tamen prohibendis poena non apponebatur. Hoc autem est difficillimum non habenti virtutem, sicut etiam philosophus dicit in 5 Ethic. (cap. 9 ad fin.), „„quod operari ea, quae iustus operatur, facile est; sed operari ea eo modo, quo iustus operatur, scil. delectabiliter et prompte, est difficile non habenti iustitiam““[37]).

Et quoniam, quae tandem lege divina praecipiantur, — id quod loco citato iam attigimus —, est percipiendum, interioribus virtutum actibus omissis, cum exteriorem et socialem hominum convictum, qualem Thomas proposuerit, petamus: statim pergimus ad ea, quae de exterioribus actibus lege nova iuberi docuerit noster auctor. „Principalitas legis novae est gratia spiritus sancti, quae manifestatur in fide per dilectionem operante. Hanc autem gratiam consequuntur homines per dei filium hominem factum, cuius humanitatem deus replevit gratia, et exinde est ad nos derivata.... Et ideo convenit, ut per aliqua exteriora sensibilia gratia a verbo incarnato profluens in nos deducatur et ex gratia interiore, per quam caro spiritui subditur, exteriora quaedam opera sensibilia producantur. Sic igitur exteriora opera dupliciter ad gratiam pertinere possunt: uno modo sicut inducentia aliqualiter ad gratiam, et talia sunt opera sacramentorum, quae in nova lege sunt instituta .... Alia vero sunt opera exteriora, quae ex instinctu gratiae producuntur, et in his est quaedam differentia attendenda. Quaedam enim habent necessariam convenientiam vel contrarietatem ad interiorem gratiam, quae in fide per dilectionem operante consistit; et huiusmodi exteriora opera sunt praecepta vel prohibita in lege nova, sicut praecepta est professio fidei et prohibita negatio .... Alia vero sunt opera, quae non habent necessariam contrarietatem vel convenientiam ad fidem per dilectionem operantem; et talia opera non sunt in lege nova praecepta vel prohibita ex prima legis institutione, sed relicta

[37]) Tom. II q. 107 art. 4.

sunt a legislatore (scil. Christo) unicuique, secundum quod aliquis alicuius curam gerere debet; et sic unicuique liberum est circa talia determinare, quid sibi expediat facere vel vitare, et cuicunque praesidenti circa talia ordinare suis subditis, quid sit in talibus faciendum vel vitandum. Unde etiam quantum ad hoc dicitur lex evangelii lex „libertatis“, nam lex vetus multa determinabat et pauca relinquebat hominum libertati determinanda[38]).“ Et planius etiam Thomas Aquinas, quantum valeat quoque pateat lex divina, his exprimit verbis: „Quia gratiam ex nobis consequi non possumus, sed per Christum solum, ideo sacramenta, per quae gratiam consequimur, ipse dominus instituit per se ipsum, scil. baptismum, eucharistiam, ordinem ministrorum novae legis, instituendo apostolos et septuaginta duos discipulos, et poenitentiam et matrimonium indivisibile; confirmationem etiam promisit per spiritus sancti missionem; ex eius etiam institutione apostoli leguntur oleo infirmos ungendo sanasse, ut habetur Marc. 6, quae sunt novae legis sacramenta. Rectus autem gratiae usus est per opera caritatis; quae quidem, secundum quod sunt de necessitate virtutis, pertinent ad praecepta moralia, quae etiam in vetere lege tradebantur. Unde quantum ad hoc lex nova super veterem addere non debuit circa exteriora agenda. Determinatio autem praedictorum operum in ordine ad cultum dei pertinet ad praecepta caerimonalia legis, in ordine vero ad proximum ad iudicialia . . . , et quia istae determinationes non sunt secundum se de necessitate interioris gratiae, in qua lex consistit, idcirco non cadunt sub praecepto novae legis, sed relinquuntur humano arbitrio; quaedam quidem quantum ad subditos, quae scil. pertinent singillatim ad unumquemque, quaedam vero ad praelatos temporales vel spirituales, quae scil. pertinent ad utilitatem communem[39]).“

Nec non alia quaedam lege divina et nova continentur, quae vocantur „consilia.“ De quibus Thomas ita loquitur: „Haec est differentia inter consilium et praeceptum, quod praeceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur eius, cui datur, et ideo convenienter in lege nova, quae est lex libertatis,

[38]) Ibid. p. 424 q. 108 art. 1.
[39]) Ibid. p. 425 art. 2.

supra praecepta sunt addita consilia, non autem in vetere lege, quae est lex servitutis. Oportet igitur, quod praecepta novae legis intellegantur esse data de his, quae sunt necessaria ad consequendum finem aeternae beatitudinis, in quem lex nova immediate introducit; consilia vero oportet esse de illis, per quae melius et expeditius potest homo consequi finem praedictum. Est autem homo constitutus inter res mundi huius et spiritualia bona, in quibus aeterna beatitudo consistit, ita quod quanto plus inhaeret uni eorum, tanto plus recedit ab altero, et e converso. Qui ergo totaliter inhaeret rebus huius mundi, ut in eis finem constituat, habens eas quasi rationes et regulas suorum operum, totaliter excidit a spiritualibus bonis: et ideo huius modi inordinatio tollitur per praecepta. Sed quod homo totaliter ea, quae sunt mundi abiiciat, non est necessarium ad perveniendum in finem praedictum, quia potest homo utens rebus huius mundi, dummodo in eis finem non constituat, ad beatitudinem aeternam pervenire; sed expeditius perveniet totaliter bona huius mundi abdicando, et ideo de hoc dantur consilia evangelii. Bona autem huius mundi, quae pertinent ad usum humanae vitae, in tribus consistunt, scil. in divitiis exteriorum bonorum, quae pertinent ad concupiscentiam oculorum, et in deliciis carnis, quae pertinent ad concupiscentiam carnis, et in honoribus, qui pertinent ad superbiam vitae, sicut patet 1 Ioh. 2. Haec autem tria totaliter derelinquere, secundum quod possibile est, pertinet ad consilia evangelica. In quibus etiam tribus fundatur omnis religio, quae statum perfectionis profitetur, nam divitiae abdicantur per paupertatem, deliciae carnis per perpetuam castitatem, superbia vitae per obedientiae servitutem"[40]).

Haec de praeceptis et consiliis in nova lege propositis nobis hic sufficere videntur, unde principia et fundamenta doctrinae Thomisticae cognoscantur. Ex eis paucis, uti videtur, deducitur magna deinceps et ingens series praeceptorum ecclesiasticorum, ex quibus quod auctor noster maiore cura et diligentia ea, quae pertinent ad consilia illustranda, defendenda, praedicanda disputavit, non est

[40]) Ibid. p. 427 art. 4. Cf. Tom. V p. 265 ss. et tom. XV opusc. I, II, III.

mirandum temporum ratione habita, cum „religionis", id est vitae monachicae et votorum iam exstitissent adversarii multi et christiani et non christiani.

Sed antequam prosequamur alias legum materias, id quoque necesse est exponere, quemadmodum Thomas legem divinam referat ad legem aeternam et naturalem. Atque divinam legem facile patet esse, aeque ac naturalem, aeternae legis participationem sive irradiationem sive infusionem, et ex ea deduci in eaque ipsam contineri, sed diverso modo: „Per naturalem legem participatur lex aeterna secundum proportionem capacitatis humanae; sed oportet ut alteriore modo dirigatur homo in ultimum finem supernaturalem. Et ideo superadditur lex divinitus data, per quam lex aeterna participatur altiore modo"[41]). Utraque porro dat quaedam principia, e quibus humana ratio et gubernatio ad recta in particularibus operabilibus cognoscenda perveniat: „Nec sufficit, quod procedat (scil. inquisitio humana) ex principiis naturaliter inditis, quae sunt praecepta legis naturae .... sed oportet, quod superaddantur quaedam alia principia, scil. praecepta legis divinae"[42]). Ea contra est inter naturalem et divinam differentia praecipua, ut illa legis naturalis principia omnia per se sint nota, divinae, etsi quid valeant quoque spectent, intellegitur, tamen non omnia rationis sint in promptu, sed sola fide plerumque sustineantur. Et hoc etiam de talibus rebus locum habet et a Thoma statuitur, quae per se sunt „naturaliter iusta"[43]). Quodsi integram Thomae sententiam et cuiuscunque principia legis naturalis et divinae, qualem Romana ecclesia et catholica proponit, contemplantes iudicamus, legem naturalem deficere dicamus necesse est non solum eo, quod hominem non possit dirigere in finem, sed etiam eo, quod sine divina revelatione nequeat omnis cognosci; quam ob rem legis naturalis sive iuris naturalis scientiam ab auctoritate divina liberam et solutam non exsistere patet. Exinde intellegimus Thomae divisionem ipsius legis divinae in naturalem et positivam: „Ius divinum dicitur, quod divinitus promulgatur; et

[41]) Tom. II p. 335 q. 91 art. 4 ad 1. [42]) Ibid. ad 2.

[43]) Tom. III p. 211 q. 57 art. 2 ad 3. Jus divinum „partim est de his, quae sunt naturaliter iusta, sed tamen eorum iustitia homines latet."

hoc quidem partim est de his, quae sunt naturaliter iusta, sed tamen eorum iustitia homines latet, partim autem his, quae fiunt iusta institutione divina. Unde etiam ius divinum per haec duo distingui potest, sicut et ius humanum. Sunt enim in lege divina quaedam praecepta, quia bona, et prohibita, quia mala; quaedam vero bona, quia praecepta, et mala, quia prohibita"[44]). Exinde porro explicamus illud iuris canonici, cuius Thomas mentionem facit, dictum: „Ius naturale est, quod in lege (id est Mosaica) et in evangelio continetur." „Quod verbum illud non est sic intellegendum, quasi omnia, quae in lege et in evangelio continentur, sint de lege naturae, cum multa tradantur ibi supra naturam, sed ea, quae sunt de lege naturae, plenarie ibi traduntur"[45]). Quae res maxime cernitur in vetere lege divina, quae totam Judaeorum vitam et privatam et publicam terminis divinitus positis non solum moralibus, sed etiam iudicialibus, oeconomicis, politicis circumscripsit[46]), ita ut vera theocratia illi gubernarentur; sed etiam in nova lege Thomas idem valere dicit: „Quantum ad hoc (scil. exteriores actus) lex vetus est multo gravior, quam nova, quia ad plures actus exteriores obligabat lex vetus in multiplicibus caerimoniis, quam lex nova, quae praeter praecepta legis naturae paucissima superaddit in doctrina Christi et apostolorum"[47]).

Iam restat, ut, quae Thomas de lege humana doceat, inquiramus. Atque putamus Aquinatem non satis in summa theologica legem humanam tractasse. Inquirit enim ille quidem humanam legem multis ex partibus, distinguit ab aeterna, naturali, divina, dividit secundum diversas specierum rationes, notat eius effectus, exponit, quando possit et debeat mutari, aliaque. Sed omnibus locis, qui huc pertinent, eam legem humanam intellegit, quae solis naturalis legis principiis, seu „per modum conclusionum", seu „per modum determinationum" evadit, nulla ra-

[44]) Ibid. [45]) Tom. II p. 345 q. 94 art. 4 ad 1.

[46]) Thomas praeceptis legis veteris exponendis defendendisque maximam prae ceteris legibus tractatus de legibus conscripti partem tribuit, tom. II p. 357 — 415, q. 98 — 107. Hoc libelli nostri loco plura, quam exhibuimus, afferri non iuvat, sed saepius sententiae a Thoma in his quaestionibus propositae adhibendae sunt. [47]) Tom. II p. 423 q. 107 art. 4.

tione eorum habita principiorum, quae „altiore modo" legis aeternae participatae et infusae divinitus superaddita esse ipse declaravit. Quod autem hac in re defecit Thomas, maximo vertimus vitio; nam non solum legum humanarum civilium, quales christianae civitates habere debeant, ex naturali et divina lege deductas, sed ipsarum legum ecclesiasticarum oblitus est locum in legum doctrina praebere, ubi accuratius exponeret, sicuti theologiae aquilam et principem scholae decebat. Non negamus nos quidem, nonnulla, quae ad leges ecclesiasticas et civiles christianas pertinerent, a Thoma esse attacta et leviter perstricta, et in hac commentatione eiusmodi loci nos maximopere adiuvabunt; concedimus, summa cum gratia illa verba accipi, quibus ecclesiasticas leges et civiles christianorum „humanas"[48]) esse statuit, id quod aliis ex verbis[49]) negari paene coniici potest; laudamus, quia scientiae sua aetate iuris Romani efflorescentis mentionem et rationem fecit; sed ideo omnium doctorum christianorum vituperationem demeritus est Thomas, quod leges ex naturalis et divinae legis principiis conclusionibus seu determinationibus emanantes nullo loco tractatus, quem de legibus summae theologicae inseruit, disputavit. Et id eo gravius ferri debet, quod Aquinatis et omnis mediae aetatis tempore leges ecclesiasticae plurimum valebant, et ipse Thomas

[48]) Recorderis velimus verborum supra commemoratorum: „Determinatio autem praedictorum operum in ordine ad cultum dei pertinet ad praecepta caerimonialia legis, in ordine vero ad proximum ad iudicialia . . . . et ideo quia istae determinationes non sunt secundum se de necessitate interioris gratiae, in qua lex consistit, idcirco non cadunt sub praecepto novae legis, sed relinquuntur humano arbitrio, quaedam quidem quantum ad subditos, quae scil. pertinent singillatim ad unumquemque, quaedam vero ad praelatos temporales vel spirituales, quae scil. pertinent ad utilitatem communem." Tom. II p. 425 art. 2.

[49]) Reminiscere (secundae) illius causae, qua divinam legem necessariam esse homini docet Aquinas: „Propter incertitudinem humani iudicii, praecipue de rebus contingentibus et particularibus, contingit de actibus humanis diversorum esse diversa iudicia, ex quibus etiam diversae et contrariae leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit, quid ei sit agendum et quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare." Tom. II p. 335 q. 91 art. 4.

eas saepius ut fontes et auctoritatem doctrinae suae dogmaticae adhibet. Illa autem legum omissio cohaeret cum alia neglectione illa ecclesiae ipsius, qua omnes medii aevi doctores, ut doctrinam, de ecclesia ipsa praeterirent, deferebantur. Quam vere autem Thomae de legibus doctrinae praestantiam addubitemus, is magis etiam, quam rationibus allatis factum est fortasse, perspiciet, qui alius doctoris christiani accuratius, quam Thomas, leges prosecuti, Francisci dicimus Suaresii decem de legibus libros[50]) consuluerit, vel alium librum theologiae nunc catholicae celebrem, quem Ioh. Petr. Gury S. J. conscripsit[51]), de legum doctrina adhibuerit. Ut igitur, quid Thomam contra artem et rationem suam theologicam peccasse nobis constet in legibus, recapitulemus, primum debuit exponere legem aeternam, deinde divinam, tunc naturalem, et ultimo loco humanam, quae apud Christianos ex divina et naturali deducenda est. Is contra humanam statim post naturalem posuit ac disputavit, eam solum ex more iuris Romani, quod gentilibus solius rationis naturalis principia cognoscentibus vigebat, christianae et catholicae tamen arti et rationi minime respondet. Et hanc rem arbitramur eadem temeritate sive inconsideratione commissam esse, ut iuri Romanorum cum damno catholicae suae artis et doctrinae, cederet, qua saepius pari cum eventu Aristotelicae philosophiae plus tribuisse eum videbamus.

His praelibatis ea ipsa, quae Thomas de lege humana ex iuris Romani scientia abstrahendo et meditando proposuerit, sunt promenda, unde et, quo iure vituperaverimus, et quam multa magna cum utilitate — id quod non negamus — ad omnes leges humanas, ecclesiasticas, civiles a christianis legislatoribus transferri possint, appareat. „Lex est quoddam dictamen rationis practicae. Similis autem processus esse invenitur rationis practicae et speculativae, utraque enim ex quibusdam principiis ad quasdam conclusiones procedit. Secundum hoc ergo dicendum, quod sicut in ratione speculativa ex principiis indemonstrabilibus naturaliter cognitis producuntur conclusiones diversarum scientiarum,

[50]) Suaresii opera omnia, tom. V et VI; de legibus libri X.

[51]) Compendium theologiae moralis, editio in Germania quarta Ratisbonae 1868; p. 57—69 de speciebus praecipuis legum.

quarum cognitio non est nobis naturaliter indita, sed per industriam rationis inventa, ita etiam ex praeceptis legis naturalis, quasi ex quibusdam principiis communibus et indemonstrabilibus necesse est, quod ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter disponenda. Et istae particulares dispositiones adinventae secundum rationem humanam dicuntur leges humanae, observatis aliis condicionibus, quae pertinent ad rationem legis“[52]). Et ut sententia nostra, qua legem gentilium tantum humanam a Thoma tractari dicimus, affirmetur, statim sequitur locus Ciceronis arcessitus hic: „Initium iuris est a natura profectum, deinde quaedam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt. Postea res a natura profectas et consuetudine probatas legum metus et religio sanxit“[53]). Eisdem Tulli verbis usus Thomas alio loco[54]) omnem legem humanitus positam a lege naturali deduci expresse docet, id quod iam notavimus in eo ut theologo. Sed modus deducendi eas valde observandus est: „Sciendum est quod a lege naturali dupliciter potest aliquid derivari: uno modo sicut conclusiones ex principiis, alio modo sicut determinationes quaedam aliquorum communium. Primus quidem modus similis est ei, quo in scientiis ex principiis conclusiones demonstrativae producuntur, secundo vero modo simile est, quod in artibus formae communes determinantur ad aliquid speciale, sicut artifex formam communem necesse est quod determinet ad hanc vel illam domus figuram. Derivantur ergo quaedam a principiis communibus legis naturae per modum conclusionum, sicut hoc, quod est, non esse occidendum, ut conclusio quaedam derivari potest ab eo, quod est, nulli esse faciendum malum; quaedam per modum determinationis, sicut lex naturae habet, quod ille, qui peccat, puniatur, sed quod tali poena vel tali puniatur, hoc est quaedam determinatio legis naturae. Utraque igitur inveniuntur in lege humana posita. Sed ea, quae sunt primi modi, continentur in lege humana, non tanquam sint solum lege posita, sed habent etiam aliquid vigoris ex lege na-

[52]) Ibid. t. II p. 334 q. 91 art. 3.

[53]) lic. de rhet. lib. II de inventione (aliquant. a. fin.)

[54]) Tom. II p. 348 q. 95 art. 2.

turali. Sed ea, quae sunt secundi modi, ex sola lege humana vigorem habent"[55]).

Quam porro utilitatem et necessitatem legis humanae Thomas probaverit, cum homines magis induci voluntarios ad bonum per monitiones, quam coactos per leges, et humanos actus, quos lex humana dirigere deberet, consistere in singularibus, quae forte per se melius et sufficienter ab aliquo sapiente, qui singula inspiceret, dirigerentur, cognovisset[56]), tamen ipsius virtutis perfectionem homini advenire per disciplinam legum humanarum oportere contendit: „Homini naturaliter inest quaedam aptitudo ad virtutem, sed ipsa virtutis perfectio necesse est, quod homini adveniat per aliquam disciplinam .... Ad hanc autem disciplinam non de facili invenitur homo sibi sufficiens, quia perfectio virtutis praecipue consistit in retrahendo homine ab indebitis delectationibus, ad quas praecipue homines sunt proni et maxime iuvenes, circa quos est efficacior disciplina. Et ideo oportet, quod huiusmodi disciplinam, per quam ad virtutem pervenitur, homines ab alio sortiantur. Et quantum quidem ad illos iuvenes, qui sunt proni ad actus virtutum ex bona dispositione naturae vel consuetudine, vel magis divino munere, sufficit disciplina paterna, quae est per monitiones. Sed quia inveniuntur quidam protervi et ad vitia proni, qui verbis de facili moveri non possunt, necessarium fuit, quod per vim vel metum cohiberentur a malo, ut saltem sic malefacere desistentes et aliis quietam vitam redderent, et ipsi tandem per huiusmodi assuetudinem ad hoc perducerentur, quod voluntarie facerent, quae prius metu implebant et sic fierent virtuosi. Huiusmodi autem disciplina cogens metu poenae est disciplina legum. Unde necessarium fuit ad pacem hominum et virtutem, quod leges ponerentur, quia sicut philosophus dicit in 1. Polit. (cap. 2 in fine): „„Sicut homo, si sit perfectus virtute, est optimum animalium, sic si sit separatus a lege et iustitia, est pessimum omnium"", quia homo habet arma rationis ad expellendas concupiscentias et saevitias, „quae non habent alia animalia"[57]). Quales deinde leges humanas esse debere docuerit, tribus his con-

[55]) Ibidem. [56]) Tom. II p. 347 q. 95 art. 1 obiectio 1, 2, 3.
[57]) Ibid. in corpore.

tinetur, quae Isidoro auctore proponit: scil. „quod (lex nempe humana) religioni congruat, in quantum scil. est proportionata legi divinae; quod disciplinae conveniat, in quantum est proportionata legi naturae; quod saluti proficiat, in quantum est proportionata utilitati humanae. Et ad haec tria, omnes aliae condiciones, quas postea ponit (scil. Isidorus), reducuntur. Nam, quod dicitur honesta, refertur ad hoc, quod religioni congruat, quod autem subditur iusta, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriae, loco temporique conveniens, reducitur ad hoc, quod congruit disciplinae .... Quod vero subditur necessaria, utilis etc. refertur ad hoc, quod expediat saluti, ut necessitas referatur ad remotionem malorum, utilitas ad consecutionem bonorum, manifestatio vero ad cavendum nocumentum, quod ex ipsa lege posset provenire"[58]). Hac in quaestione denuo occurrit, id quod iam de aliis rebus animadvertimus, ut, quomodo Thomas auctores, quos laudet male interpretatus adhibuerit, displiceat. Patet enim illud Isidori, „quod religioni congruat", et Thomae hoc, „in quantum est proportionata legi divinae", — cum Isidorus „omnes autem leges aut divinae aut humanae; divinae natura, humanae moribus constant"[59]), exposuerit, cumque Thomas longe aliam acceperit legem divinam —, omnino non inter se convenire, sed Thomam potius verba, quam sententiam in Isidori libro Etymologiarum quinto esse secutum. Isidorus, ut breviter dicatur, nihil de legibus profert, nisi quae ex iure Romano extraxerat et conscripserat. Et quamvis laudabilis Thomas videatur, quod illud „religioni congruat (lex humana)" ad suam legem divinam interpretatus eodem peccato, quo iam Isidorus episcopus fortasse „religionis" voce ductus doctrinam suam a gentilibus repetitam ad christianam sententiam declinaverat, tamen maxime miramur, quod ei ne minima quidem suspicio temerarii et inconsiderati illius usus in mentem venerit. Atque etiam hoc aliud ex quaestione praesenti aperimus, id quod minus etiam in laudem Thomae cedit, articulum istum „utrum Isidorus convenienter qualitatem legis positivae

[58]) Ibid. p. 349 art. 3.
[59]) Migne, Patrologiae cursus completus tom. 82. Paris 1850, Isidori Etymolog. lib. V cap. 2 p. 198.

describat", haud per ambages repugnare praecedenti illi, „utrum omnis lex humanitus posita a lege naturali derivetur." Nam altero loco, ex sola naturali lege humanas leges deduci, edocemur, altero loco legitur: „Lex autem humana utrumque habet, quia et est aliquid ordinatum ad finem, et est quaedam regula vel mensura regulata vel mensurata quadam superiore mensura, quae quidem est duplex, scil. divina lex et lex naturae"[60]. In divisione tum legum humanarum tractanda magis etiam cernitur, quanto Thomas Aquinas defecerit sua de legibus doctrina. Praecipue enim iterum commemorat de ratione legis humanae esse primo „quod derivata sit a lege naturae", secundo „quod ordinetur ad bonum commune", tertio, „ut instituatur a gubernante communitatem civitatis"[61]. Primo autem respectu dividit legem humanam sive positivam in „ius gentium et ius civile secundum duos modos, quibus aliquid derivatur a lege naturae, ut supra dictum est. Nam ad ius gentium pertinent ea, quae derivantur ex lege naturae sicut conclusiones ex principiis, ut iustae emptiones et venditiones et alia huiusmodi, sine quibus homines ad invicem convivere non possunt .... Quae vero derivantur a lege naturae per modum particularis determinationis, pertinent ad ius civile, secundum quod quaelibet civitas aliquid sibi accommode determinat." Tertio autem respectu, „ut instituatur lex humana a gubernante communitatem civitatis", distinguit Thomas cum Isidoro et Aristotele, quos secutus est in hoc articulo, secundum diversa regimina civitatum. In regno sive monarchia .... accipiuntur constitutiones principum; in aristocratia, sumuntur responsa prudentum et etiam senatus consulta." In oligarchia, id est in principatu paucorum divitum et potentum, „sumitur ius praetorium, quod etiam honorarium dicitur." In democratia, id est in regimine populi, „sumuntur plebiscita" .... „Est etiam aliquod regimen ex istis commixtum, quod est optimum; et secundum hoc sumitur lex, quam maiores natu simul cum plebibus sanxerunt." Alia ratione leges humanas dividit Thomas „secundum diversa, de quibus leges feruntur .... quae interdum ab

---

60) Tom. II p. 349. 61) Ibid. p. 349 et 359.

auctoribus nominantur, sicut distinguitur lex Iulia de adulteriis, lex Cornelia de sicariis et sic de aliis, non propter auctores sed propter res, de quibus sunt"[62].

Quarto denique loco divisionem, quam Thomas secundo affert, commemoramus eam, quae est „secundum diversitatem eorum, qui specialiter dant operam ad bonum commune, sicut sacerdotes pro populo deum orantes, principes populum gubernantes et milites pro salute populi pugnantes"[63]. Ne quis vero „iure sacerdotum" opinetur intellegi christianum ius sive etiam ecclesiasticum et canonicum, monemus iterum omnia ex Isidoro esse transsumpta[64], qui ipse verba huc maxime pertinentia ex Ulpiano transscripserat"[65]: „Ius publicum est in sacris et in sacerdotibus et in magistratibus", neque ceteras legis humanae notas Thomisticas, scil. „quod ordinetur ad bonum commune civitatis", et „ut instituatur a gubernante communitatem civitatis", quadrare in ius christianum et canonicum, sed solum in ethnicum Romanorum, unde abstractae sint.

Potestatem deinde Thomas Aquinas tribuit legibus humanis eam, ut fini suo, id est bono communi respondeant. Quam ob rem eas non coarctandas vult singulis casibus aut personis aut temporibus: „Iura constitui oportet in his, quae saepius accidunt; ex his autem, quae forte uno casu accidere possunt, iura non constituuntur." „Nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium lex debet esse conscripta"[66]. Et ipsa legis definitione rationem boni communis videbamus statui: „Lex nihil aliud est, quam quaedam rationis ordinatio ad bonum commune et ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata"[67]. Quamquam autem boni communis ratio est praecipua in lege, tamen non omnia vitia debentur cohiberi. „Leges imponuntur hominibus secundum eorum condicionem, quia ut Isidorus dicit lib. 5. Etymol.

---

62) Ibid. 63) Ibid.

64) Quaestionis ipsum nomen hoc indicat: „Utrum Isidorus convenienter ponat divisionem humanorum legum."

65) Cf. Migne tom. IXXXII; Etymol. l. V c. VIII p. 200 nota n.

66) Ex Isid. Etym. lib. V c. 21 apud Migne p. 203.

67) Tom. II p. 332 q. 90 art. 4.

cap. 21. „„Lex debet esse possibilis, et secundum naturam et secundum consuetudinem patriae."" Potestas autem sive facultas operandi ex interiore habitu seu dispositione procedit; non enim idem est possibile ei, qui non habet habitum virtutis et virtuoso, sicut etiam non est idem possibile puero et viro perfecto, et propter hoc non ponitur eadem lex pueris, quae ponitur adultis; multa enim pueris permittuntur, quae in adultis lege puniuntur, vel etiam vituperantur. Et similiter multa sunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quae non essent toleranda in hominibus virtuosis. Lex autem humana ponitur multitudini hominum, in qua maior pars est hominum non perfectorum virtute. Et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent, sed solum graviora, a quibus possibile est maiorem partem multitudinis abstinere, et praecipue, quae sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset, sicut prohibentur lege humana homicidia, furta et huiusmodi"[68]). Contrariam autem quaestionem Thomas movet, utrum lex humana praecipiat actus omnium virtutum. Et quoniam supra proposuimus in universum, quae tradidit Thomas de hac re secundum Aristotelem, commemoramus hoc loco et remittimus ad ea, quae de iustitia particulari et generali sunt dicta; neque ullo verbo diutius hac in re immoraremur, si non cerneremus his duabus quaestionibus ea contineri principia, quibus usi principes honeste et prudenter leges possunt intendere mitigare, astringere relaxare secundum statum subditorum aut vitiis aut virtutibus mutatum, et quibus abusi tyranni pro libidine et arbitrio summam asperitatem, duritiam, saevitiam adhibent. Omnium vero etiam iustarum in rebus publicis conversionum, et si forte sunt libertati populorum noxiae, inde deducitur origo. Thomas de mutatione legum laudat Augustini verba: „Lex temporalis, quamvis iusta sit, commutari tamen per tempora iuste potest", deque reipublicae statu mutando cum illo sumit exemplum: „Si populus sit bene moderatus et gravis, communisque utilitas diligentissimus custos, recte lex fertur, qua tali populo liceat creare sibi magi-

[68]) Tom. II p. 351 q. 96 art. 2.

stratus, per quos respublica administretur. Porro si paulatim idem populus depravatus habeat venale suffragium et regimen flagitiosis sceleratisque committat, recte adimitur populo talis potestas dandi honores et ad paucorum bonorum redit arbitrium." „Duplex autem causa potest esse, quod lex humana iuste mutetur, una quidem ex parte rationis, alia vero ex parte hominum, quorum actus lege regulantur. Ex parte quidem rationis, quia humanae rationi naturale esse videtur, ut gradatim ab imperfecto ad perfectum perveniat. Unde videmus in scientiis speculativis, quod qui primo philosophati sunt, quaedam imperfecta tradiderunt, quae postmodum per posteriores sunt tradita, magis perfecte. Ita etiam in operabilibus; nam primi, qui intenderunt invenire aliquid utile communitati hominum, non valentes omnia ex se ipsis considerare, instituerunt quaedam imperfecta in multis deficientia, quae posteriores mutaverunt, instituentes aliqua, quae in paucioribus deficere possunt a communi utilitate. Ex parte vero hominum, quorum actus lege regulantur, lex recte mutari potest propter mutationem condicionum hominum, quibus secundum diversas eorum condiciones diversa expediunt"[69]).

In mutandis autem legibus levitas et temeritas valde est vitanda: „Habet enim ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad observantiam legum plurimum valet consuetudo, in tantum quod ea, quae contra communem consuetudinem fiunt, etiamsi sint leviora de se, graviora videntur. Unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis, in quantum tollitur consuetudo. Et ideo numquam debet mutari lex humana, nisi ex alia parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur. Quod quidem contingit vel ex hoc, quod aliqua maxima et evidentissima utilitas ex novo statuto provenit, vel ex eo, quod est maxima necessitas, vel ex eo, quod lex consueta aut manifestam iniquitatem continet, aut eius observatio est plurimum nociva. Unde dicitur a iurisperito (Ulpiano lib. I. ff. tit. 4 de constit. princ.): „„quod in rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo iure, quod diu aequum visum est[70]).""

[69]) Ibid. p. 354 ss. q. 97 art. 1. [70]) Ibid. p. 355 art. 2.

Ad mutandas autem leges humanas spectat etiam consuetudo. „Sicut ratio et voluntas hominis manifestantur verbo in rebus agendis, ita etiam manifestantur facto; hoc enim unusquisque eligere videtur ut bonum, quod opere implet. Manifestum est autem, quod verbo humano potest et mutari lex, et etiam exponi, in quantum manifestat interiorem motum et conceptum rationis humanae; unde etiam et per actus, maxime multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, mutari potest lex et exponi, et etiam aliquid causari, quod legis virtutem obtineat, in quantum scil. per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus et rationis conceptus efficacissime declaratur. Cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis iudicio provenire. Et secundum hoc consuetudo et habet vim legis et legem abolet et est legum interpretatrix[71])“. Consuetudinis vi tamen valde observandum nihil contra legem divinam aut naturalem effici: „Lex naturalis et divina procedit a voluntate divina . . . . unde non potest mutari per consuetudinem procedentem a voluntate hominis, sed solum per auctoritatem divinam mutari posset; et inde est, quod nulla consuetudo vim legis obtinere potest contra legem divinam vel legem naturalem[72]).“

Neque dispensationem legum possumus praeterire. „Dispensatio proprie importat commensurationem alicuius communis ad singula. In quacunque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, qualiter aliquod commune praeceptum sit a singulis adimplendum. Contingit autem quandoque, quod aliquod praeceptum, quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personae vel in hoc casu . . . . Periculosum autem esset, ut hoc iudicio cuiuslibet committeretur, nisi forte propter evidens et subitum periculum. Et ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quae suae potestati innititur, ut scil. in personis vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut praeceptum legis non servetur. Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione aut erit imprudens; infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune, imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret[73]).“

[71]) Ibid. art. 3. [72]) Ibid. ad 1. [73]) Ibid. p. 356 art. 4.

Thomas autem eam quoque attigit quaestionem, utrum omnes, id est omnes eiusdem civitatis vel regni subiicerentur legi humanae. Atque „dupliciter aliquis homo potest esse legi subiectus, uno modo sicut regulatum regulae, et hoc modo omnes illi, qui subduntur potestati, subduntur legi, quam fert potestas . . . . Alio vero modo dicitur aliquis subiectus legi, sicut coactum cogenti, et hoc modo virtuosi et iusti non subduntur legi, sed soli mali. Quod enim est coactum et violentum, est contrarium voluntati; voluntas autem bonorum consonat legi, a qua malorum voluntas discordat. Et ideo secundum hoc boni non sunt sub lege, sed soli mali[74]).“ Principes vero qui legem tulerunt, etiamsi sunt mali, subduntur tantum „quantum ad vim directivam.“ „Sic igitur princeps dicitur esse solutus a lege, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Unde super illud Psalm. 50 „Tibi soli peccavi etc.“ dicit glossa (ordin. Cassiod.), quod rex non habet hominem, qui sua facta diiudicet[75]).“ Subditis igitur in universum semper incumbit necessitas leges sequendi. „Unde si emergat casus, in quo observatio talis legis sit damnosa communi saluti, non est observanda . . . . Sed tamen hoc est considerandum, quod si observatio legis secundum verba non habet subitum periculum, cui oporteat statim occurri, non pertinet ad quemlibet, ut interpretatur, quid sit utile civitati, et quid inutile civitati, sed hoc solum pertinet ad principes, qui propter huius modi casus habent auctoritatem in legibus dispensandi. Si vero sit subitum periculum non patiens tantam moram, ut ad superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur legi[76]).“

Postremo tandem ea restat res gravissima maximique momenti, quam de industria ad finem disputationis de legibus huius, Thomae ordine subverso, reposuimus, ut qualem Thomas „necessitatem in foro conscientiae,“ legi humanae tribuerit, exponamus. „Leges,“ inquit, „positae humanitus vel sunt iustae vel iniustae. Si quidem iustae sint, habent vim obligandi in foro conscientiae a lege aeterna, a qua derivantur . . . . Dicuntur autem leges iustae et ex fine,

[74]) Ibid. p. 353 q. 96 art. 5. [75]) Ibid. ad. 3.
[76]) Ibid. p. 353 et 354 art. 6.

quando scil. ordinantur ad bonum commune, et ex auctore, quando scil. lex lata non excedit potestatem ferentis, et ex forma, quando scil. secundum aequalitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune.... Iniustae autem sunt leges dupliciter uno modo per contrarietatem ad bonum humanum e contrario praedictis: vel ex fine, sicut cum aliquis praesidens leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam: vel etiam ex auctore, sicut cum aliquis legem fert ultra sibi commissam potestatem: vel etiam ex forma, puta cum inaequaliter onera multitudini dispensantur, etiam si ordinentur ad bonum commune. Et huiusmodi magis sunt violentiae, quam leges, quia sicut August. dicit in libr. I. de lib. arbitr. (c. 5 parum a princ.) „„Lex esse non videtur, quae iusta non fuerit."" Unde tales leges non obligant in foro conscientiae, nisi forte propter vitandum scandalum vel turbationem; propter quod etiam homo iuri suo debet cedere.... Alio modo leges possunt esse iniustae per contrarietatem ad bonum divinum, sicut leges tyrannorum inducentes ad idiolatriam vel ad quodcunque aliud, quod sit contra legem divinam. Et tales leges nullo modo licet observare, quia sicut dicitur Act. 4. „Obedire oportet deo magis, quam hominibus[77])." His autem verbis Thomas Aquinas legis humanae doctrinam sine dubio ad christianorum vitam rettulit sicuti omnia, quae proposuit, et saepius in legum tractatu, quae parum respondent rationi et arti christianae et catholicae, ad illam vult conformari. Sed animadvertimus, hoc iterum fieri tantum quantum Romano imperio ethnico et christianos persequente fuerit necessarium; eam ob causam elegit exemplum „legis per contrarietatem ad bonum divinum iniustae," id mandatum, quo tyrannus „ad idolatriam" inducere studet, id quod imperatores Romani imperii saepius tentarunt, christiani nunquam principes committunt. Neque aliter potest docere quilibet christianus de legibus humanis contra mandata divina repugnantibus. A doctore quinto ecclesiae petimus, ut in legum tractatu suo de legibus humanis inter se ipsas contrariis,

77) Ibid. p. 352 q. 96 art. 4: Utrum lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientiae.

scil. de civilibus et ecclesiasticis inter se oppositis disputet, praesertim cum Aquinatis tempore ecclesiae et reipublicae principes legesque saepius dissenserint. Sed tantum abest, ut in summae theologicae de legibus tractatu adhibuerit et disputaverit alia principia sua: „Romano pontifici omnes reges populi christiani oportet esse subditos, sicut ipsi domino Jesu Christo[78])" et „subesse Romano pontifici, est de necessitate salutis[79])" et „in isto (scil. sui ipsius et christiano) tempore reges sunt vasalli ecclesiae[80])" et papae „constitutio facit ius," quam „omnes suo modo scire tenentur[81])", ut, cum civilium et pontificiarum sive ecclesiasticarum contrarietatem in docendo non observaret, omnes leges humanas, ut videbamus, a „gubernante communitatem civitatis"[82]) institui dicat. Leviter utique Thomas aliis locis quandam contrarietatem legis canonicae et civilis attingit, scil. de usura[83]), de restitutione[84]), de praedicatione non intermittenda, si princeps saecularis prohibere voluerit[85]). De usura enim haec Thomas: „Leges humanae", inquit, „dimittunt aliqua peccata impunita, propter condiciones hominum imperfectorum, in quibus multae utilitates impedirentur, si omnia peccata districte prohiberentur poenis adhibitis. Et ideo usuras lex humana (id est civilis) concessit, non quasi existimans eas esse secundum iustitia, sed ne impedirentur utilitates multorum." Quae cum de differentia legis humanae et divinae magis disputet, de restitutione possessoris malae fidei civilis et canonicae discrepantiam exponit quasi necessariam et consentaneam. Sed haec est quaestio: „Utrum ille, qui mala fide praescripsit, teneatur ad restitutionem? .... Respondeo, dicendum quod circa hoc est contrarietas juris civilis et canonici, quia secundum jus civile praecriptio tenet, secundum ius canonicum talis praescribere non potest. Et ratio huius contrarietatis est, quia alius est finis, quem intendit civilis legislator, scil. pacem servare et stare inter cives,

78) Tom. XVI p. 237 opusc. 16 de reg. princ. lib. I c. 14.
79) Tom. XV p. 257 opusc. 6.
80) Tom. IX p. 625, Quodlibet 12, q. 13 ad 2.
81) Tom. IX p. 470, Quodl. 1 art. 19.
82) Tom. II p. 349 q. 95 art. 4.
83) Tom. III p. 280 q. 78 art. 1 ad 3.
84) Tom. IX p. 627 Quodl. 12 art. 24
85) Tom. IX p. 629 Quodl. 12 art. 28.

quae impediretur, si praescriptio non curreret. Quicunque enim vellet, posset venire et dicere: Istud fuit meum quocunque tempore. Finis autem iuris canonici tendit in quietem ecclesiae et salutem animarum. Nullus autem in peccato salvari potest nec poenitere de damno, vel de alieno, nisi recompenset.“ Sed haec pauciora et minora sunt, quam quibus possimus moveri, ut opprobrium revocemus. Quorum paucitatem et tenuitatem inde maxime intelleges, quod Thomas ipse eis quaestionibus non incitabatur, ut differentiam canonici iuris et civilis in legum tractatu de industria disputaret. Quid amplius nos praestantiae huius de legibus tractatus, si ex ipsa catholica Thomae sententia velimus iudicare, derogemus? Ipsius Aquinatis verba ex iure Romano desumpta et sacrae scripturae et glossae ordinariae Cassiodori locis defensa et affirmata, quibus „princeps dicitur esse solutus a lege quantum ad vim coactivam, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat; unde super illud Psalm. 50 „„Tibi soli peccavi etc.““ dicit glossa (ord. Cassiod.) quod „„rex non habet hominem, qui sua facta diiudicet[86]),““ satis aperte repugnant aliis locis ex Gregorii VII. decretis affirmatis, ubi „aliquis per infidelitatem peccans, potest sententialiter ius dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas,“ et „infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire (sc. ecclesia); et convenienter in hoc puniuntur, quod subditis fidelibus dominari non possint[87]).“ Et cum Aquinatis intentionem vere catholicam et Romanam fuisse negari non possit, tamen Dorscheus illi non intulit iniuriam, cum illo loco, quem proposuimus, citato thesim suam defenderet de papa sextam, qua: „Pontifex Romanus, inquit, temporalem aliquam universalem potestatem in reges orbis ad eorum punitionem et degradationem nullam habet[88]).“ Nam revera verba Thomae allata in hanc Dorschei sententiam accipi possunt, praesertim si adiungitur caput VI libri primi de regimine principum, ubi de principatu papae, quo principes dominio privare potuerit,

[86]) Tom. II p. 353 q. 96 art. 5 ad 3. — Cf. Ottonis Fris. epistolam ad Fridericum imperatorem chronico praemissam.

[87]) Tom. III p. 50 s. t q. 12 art. 2: „Utrum princeps propter apostasiam a fide amittat dominium.“

[88]) Dorscheus, Thomas Aquinas, veritatis evangelicae confessor, p. 75.

„altum silentium“ servatur, cum condiciones aliae principis iniusti amovendi proponantur.

Postremo tandem in fine huius de legibus disputationis nonnulla de iuris notione propria, quam Thomas habet, per se dicenda esse placet. Plurimi enim iuris notionem a Thoma, aeque atque a ceteris medii aevi doctoribus obiiciunt non esse perceptam aut definitam per se, aut ullo modo a philosophia et theologia morali esse separatam. Quod quidem concedimus, dummodo hoc opprobrio nihil aliud vituperetur, nisi quod Thomas philosophiam et theologiam iuris non per se tractavit speciali studio aut scientia. At propriam iuris notionem, materiam, naturam Thomas tam apertis verbis declarat, ut de eo nihil amplius requiri possit, quam ut inde scientiam explicarit specialem. A iustitiae utique sane virtute profectus est ad iuris notionem cognoscendam. Nam „ius est obiectum iustitae[89]).“ In ipsa autem iustitia explicanda leguntur haec verba: „Bonum et malum in eius operationibus attenditur secundum se ipsas, qualitercunque homo afficiatur ad eas, in quantum scil. bonum in eis et malum accipitur secundum rationem commensurationis ad alterum[90])“. „Illud, quod est rectum in operibus aliarum virtutum, ad quod tendit intentio virtutis quasi in proprium obiectum, non accipitur, nisi per comparationem ad agentem. Rectum vero, quod est in opere iustitiae, etiam praeter comparationem ad agentem constituitur per comparationem ad alium. Illud enim in opere nostro dicitur esse iustum, quod respondet secundum aliquam aequalitatem alteri, puta recompensatio mercedis debitae pro servitio impenso. Sic ergo iustum dicitur aliquid, quasi habens rectitudinem iustitiae, ad quod terminatur actio iustitiae, etiam non considerato qualiter ab agente fiat. Sed in aliis virtutibus non determinatur aliquid rectum nisi secundum quod vocatur iustum[91]).“ Id vero est concedendum, Thomam non incubuisse speciali scientiae iuris, neque naturalis, neque humani, neque canonici exponendae.

Inde etiam deducimus illam inter iuristas et theologos controversiam, quam theologi cum iuristis maxime in unversitate Pari-

[89]) Tom. III p. 210 q. 57 art. 1: „utrum ius sit obiectum institiae.“

[90]) Tom. II p. 208 q. 60 art. 2. [91]) Tom. III p. 211 q. 57 art. 1.

siensi post Aquinatis tempora habebant, qua theologi iuristarum et decretistarum ordinem necessarium esse denegasse videntur. Cuius controversiae in ipso Thoma nostro, theologorum et philosophorum Parisiensium principe ac patrono, invenimus primordia. Thomas iuristas nonnullos accusat „ignorantiae[92])“, et notat eorum inter se ipsos et contra theologos „repugnantiam[93]).“ Gersonii postea tempore haec inter iuristas decretistasque et theologos discrepantia adeo aucta erat, ut Gersonius in „recommendatione licentiandorum“ speciali cura theologos illos sollicitos et invidos refutaret[94]). Huius vero Gersonii merita de iuris et legum scientia et ordine pluris facimus, quam Aquinatis. Quod quam vere dictum sit, hae duae, quae vocantur, „arbores“ Gersonii, quas apponimus, licet non sint undique perfectae, si volueris comparare, demonstrabunt.

ARBOR[95])

DE ORIGINE IURIS ET LEGUM.

Iustitia divina.

Ius cuiuslibet creaturae.	Ius creaturae rationalis.	Leges hominum viatorum.
Leges insitae omnibus rebus.	Lex proprie divina. Lex proprie naturalis.	Lex canonica. Lex civilis.

Iustitia participata habet iura sua et leges.

Distributiva. Huic contrariantur promotiones indignae et intrusiones.		Commutativa. Huic contrariantur contractus illiciti.	
In officiis rei publicae.	In beneficiis ecclesiae.	Usura et fraus in temporalibus.	Simonia et Giezia in spiritualibus.

Iustitia legalis est omnis virtus regulata, sicut caritas in lege christiana.
Iurisdictio.

Non coërciva seu directiva.		Coërciva.	
Doctrinalis seu directiva, paternalis seu hierarchica.	Spontanea vel arbitraria, praesupposito peccato, ut in poenitentia.	Divina, secundum ius et leges proprie divinas Naturalis, secundum ius et leges proprie naturales, praesupposito peccato.	Ecclesiastica, secundum ius et leges canonicas; secularis, secundum leges civiles.

[92]) Tom. III p. 326 s. th. 2. 2. q. 88 art. 11 in corp: „Papa non potest facere, quod ille, qui est professus religionem, non sit religiosus, licet quidam iuristae ignoranter contrarium dicant.“

[93]) Tom. IX p. 598 ss. quodl. IX art. 15.

[94]) Gersoni opera, Tom. IV p. 686.

[95]) Gersonii opera, tom. II p. 257 et 258.

Dominium.

Gloriae.	Evangelicum.
Originalis iustitiae. Gratiae gratificantis.	Canonicum. Civile.

Politia.

Libera.		Despotica et servilis.	
ECCLESIASTICA.	TEMPORALIS.	ECCLESIASTICA.	TEMPORALIS.
Papatus.	Regnum.	Similiter ad tyrannidem.	Tyrannis.
Cardinalatus.	Aristocratia.	Similiter ad Oligarchiam.	Oligarchia.
Synodus generalis.	Politia vel Democratia.	Similiter ad Democratiam.	Democratia.

ARBOR

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Potestas ecclesiastica[96]).

Ordinis.		Iurisdictionis.			
		QUOAD FORUM INTERIUS.		QUOAD FORUM EXTERIUS.	
SUPER CORPUS. Christi verum, quoad consecrationem.	SUPER CORPUS. Christi mysticum, quoad ministrationem sacramentorum.	Clavium, quoad absolutionem.	Arbitraria quoad poenae commutationem.	Secundum legem proprie Evangelicam, quae est excommunicatio.	Secundum leges canonicas et civiles canonizatas, quae similis est temporali.

Usus potestatis ecclesiasticae.

Licitus et ratus.	Licitus et non ratus.	Illicitus et ratus.	Illicitus et irritus.

Plenitudo potestatis ecclesiasticae.

Est subiective et monarchice in papa.	Est in ecclesia synodaliter congregata ordinative, regulative et suppletive.

Potestas ecclesiastica.

Alia est plena.		Alia est limitata et ordinaria.	
PLENA.		LIMITATA.	ORDINARIA.
Est in papa subiective et executive.	In ecclesia regulative et suppletive.	In episcopis.	In curatis.

Habet tres actus hierarchicos, ad quos ceteri reducuntur, scilicet:

1. Purgare.		2. Illuminare.		3. Perficere.
Per remunerationem, sicut per indulgentias.	Per punitionem, sicut per excommunicationem et invocationem brachii secularis.	Per praedicationem doctrinalem.	Per legum et canonum institutionem.	Per sacramentorum administrationem.

[96]) Ibid. p. 259 et 260.

siensi post Aquinatis tempora habebant, qua theologi iuristarum et decretistarum ordinem necessarium esse denegasse videntur. Cuius controversiae in ipso Thoma nostro, theologorum et philosophorum Parisiensium principe ac patrono, invenimus primordia. Thomas iuristas nonnullos accusat „ignorantiae[92])“, et notat eorum inter se ipsos et contra theologos „repugnantiam[93]).“ Gersonii postea tempore haec inter iuristas decretistasque et theologos discrepantia adeo aucta erat, ut Gersonius in „recommendatione licentiandorum“ speciali cura theologos illos sollicitos et invidos refutaret[94]). Huius vero Gersonii merita de iuris et legum scientia et ordine pluris facimus, quam Aquinatis. Quod quam vere dictum sit, hae duae, quae vocantur, „arbores“ Gersonii, quas apponimus, licet non sint undique perfectae, si volueris comparare, demonstrabunt.

ARBOR[95])
DE ORIGINE IURIS ET LEGUM.

Iustitia divina.

Ius cuiuslibet creaturae.	Ius creaturae rationalis.	Leges hominum viatorum.
Leges insitae omnibus rebus.	Lex proprie divina.	Lex canonica.
	Lex proprie naturalis.	Lex civilis.

Iustitia participata habet iura sua et leges.

Distributiva. Huic contrariantur promotiones indignae et intrusiones.		Commutativa. Huic contrariantur contractus illiciti.	
In officiis rei publicae.	In beneficiis ecclesiae.	Usura et fraus in temporalibus.	Simonia et Giezia in spiritualibus.

Iustitia legalis est omnis virtus regulata, sicut caritas in lege christiana.

Iurisdictio.

Non coërciva seu directiva.		Coërciva.	
Doctrinalis seu directiva, paternalis seu hierarchica.	Spontanea vel arbitraria, praesupposito peccato, ut in poenitentia.	Divina, secundum ius et leges proprie divinas Naturalis, secundum ius et leges proprie naturales, praesupposito peccato.	Ecclesiastica, secundum ius et leges canonicas; secularis, secundum leges civiles.

[92]) Tom. III p. 326 s. th. 2. 2. q. 88 art. 11 in corp: „Papa non potest facere, quod ille, qui est professus religionem, non sit religiosus, licet quidam iuristae ignoranter contrarium dicant.“
[93]) Tom. IX p. 598 ss. quodl. IX art. 15.
[94]) Gersoni opera, Tom. IV p. 686.
[95]) Gersonii opera, tom. II p. 257 et 258.

Dominium.

Gloriae.	Evangelicum.
Originalis iustitiae.	Canonicum.
Gratiae gratificantis.	Civile.

Politia.

Libera.		Despotica et servilis.	
ECCLESIASTICA.	TEMPORALIS.	ECCLESIASTICA.	TEMPORALIS.
Papatus.	Regnum.	Similiter ad tyrannidem.	Tyrannis.
Cardinalatus.	Aristocratia.	Similiter ad Oligarchiam.	Oligarchia.
Synodus generalis.	Politia vel Democratia.	Similiter ad Democratiam.	Democratia.

ARBOR
DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Potestas ecclesiastica[96]).

Ordinis.		Iurisdictionis.			
		QUOAD FORUM INTERIUS.		QUOAD FORUM EXTERIUS.	
SUPER CORPUS. Christi verum, quoad consecrationem.	SUPER CORPUS. Christi mysticum, quoad ministrationem sacramentorum.	Clavium, quoad absolutionem.	Arbitraria quoad poenae commutationem.	Secundum legem proprie Evangelicam, quae est excommunicatio.	Secundum leges canonicas et civiles canonizatas, quae similis est temporali.

Usus potestatis ecclesiasticae.

Licitus et ratus.	Licitus et non ratus.	Illicitus et ratus.	Illicitus et irritus.

Plenitudo potestatis ecclesiasticae.

Est subiective et monarchice in papa.	Est in ecclesia synodaliter congregata ordinative, regulative et suppletive.

Potestas ecclesiastica.

Alia est plena.		Alia est limitata et ordinaria.	
PLENA.		LIMITATA.	ORDINARIA.
Est in papa subiective et executive.	In ecclesia regulative et suppletive.	In episcopis.	In curatis.

Habet tres actus hierarchicos, ad quos ceteri reducuntur, scilicet:

1. Purgare.		2. Illuminare.		3. Perficere.
Per remunerationem, sicut per indulgentias.	Per punitionem, sicut per excommunicationem et invocationem brachii secularis.	Per praedicationem doctrinalem.	Per legum et canonum institutionem.	Per sacramentorum administrationem.

[96]) Ibid. p. 259 et 260.

IX.

De congregatione fidelium, id est, de ecclesia et de sacerdotio.

Historia fidei christianae constat, tum demum singulas eius partes sciendi arte et ratione aut dogmatis definitione circumscribi coeptas esse, cum quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum fuisset, vel in dubitationem vel in litem revocaretur. Quare quodammodo explicatur illud mirum, quod ex eo ipso tempore, cum per longa medii aevi saecula ecclesia catholica in animis hominum firmissime stabilita atque firmata vigebat, et summa potestate spirituali et exteris opibus florebat, tamen nulla de ecclesia per se scientia aut definitio dogmatica instituebatur[1]. Quodsi recentibus demum et futuris temporibus ratio plena et perfecta de ecclesia tradendi ars videtur pertinere, iure quodam dicitur, idem accidisse ecclesiae Romanae eiusque doctoribus, quod populo imperioque Romano, qui optimo iure et idoneis legibus usi orbem regebant, non enucleantes philosophiae iuridicae per se artem et scientiam[2]. Neque enim doctoribus adhuc christianis contigit, ut, quae esset ecclesia, quo pateret eius vis et auctoritas, quibus quaeque partes et quaelibet membra gauderent muneribus aut privilegiis, quae susciperent onera et alia huiusmodi, more et arte doctrinae ecclesiasticae

[1] Rietter in „Moral des h. Thomas" p. 51 doctrinae de ecclesia a Thoma omissae excusationem non sufficientem haec scribit: „Allein wem fällt es ein, weitläufig mitten im Sonnenlicht darzuthun, dass die Sonne wirklich scheint, erleuchtet und erwärmt? Das kirchliche Ansehen stand im Mittelalter so fest und war allenthalben so ohne Widerspruch anerkannt, dass es für einen Schriftsteller jener Zeit ein überflüssiges Beginnen gewesen wäre, umständlich über diesen Punkt sich auszulassen." Non satis excusant haec verba; nam Aristoteli quoque, ut contrarium exemplum afferamus, reipublicae auctoritas firma et immota stabat; et tamen de republica libros conscripsit. Neque id in scientia ecclesiae condenda agendum videtur, utrum sit ecclesia, sed id potius, cur, quomodo, ubi, quibus auxiliis etc.

[2] Cf. Stahl, Rechtsphilosophie, 2. Aufl. 1847, Bd. I p. 44 et 45.

et theologicae aut, si dicere fas est, philosophicae inquirerent de industria, nedum forte plenam aperirent scientiam. Attamen nulli ecclesiae aetati defuerunt doctores, qui indolem, vim, auctoritatem ecclesiae, suo quisque modo, exponerent.

De Thomae vero Aquinatis operibus, etsi idem valet et dicamus necesse est, in omni fere pagina auctoritatem ecclesiae ex decretis pontificum et conciliorum appositis resplendescere et relucere, ipsam de ecclesia scientiam nusquam tradi integram aut perfectam; ex occasione vero certae ibi inveniuntur radices et fundamenta, quibus utique distincta, si minus adaequata ecclesiae notio et descriptio possit evadere. Atque „sicuti omnes homines sunt natura unum[3])" et „possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt"[4]), ita ratione gratiae et redemptionis per Christum praestitae genus humanum consideratur quasi unum corpus, quod vocatur mysticum, cuius caput et principium est ipse Christus et quantum ad animas hominum et quantum ad corpora[5]). Singuli autem homines a Thoma ad hoc corpus mysticum ita referuntur: „Haec", inquit, „est differentia inter corpus hominis naturale et corpus Christi mysticum, quod membra corporis naturalis sunt omnia simul; membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, neque quantum ad esse naturae, quia corpus ecclesiae constituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius, neque etiam quantum ad esse gratiae, quia eorum etiam, qui sunt in uno tempore, quidam gratia carent postmodum habituri aliis eam iam habentibus. Sic igitur membra corporis mystici accipiuntur non solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia. Quaedam tamen sunt in potentia, quae nunquam reducuntur ad actum; quaedam vero sunt, quae quandoque reducuntur ad actum et hoc secundum triplicem gradum, quorum primus est per fidem, secundus per charitatem viae, tertius per fruitionem patriae. Sic ergo dicendum est, quod accipiendo generaliter secundum totum

[3]) Tom. VII p. 887. Comment. in 4 sentent. dist. 24 q. 1 art. 1 quaestiuncula 1, abiectio 3.

[4]) Tom. II p. 298 q. 81 art. 1.

[5]) Tom. IV p. 48 q. 8 art. 7 et 2.

tempus mundi. Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus. Primo enim et principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur ei per gloriam, secundo eorum, qui actu uniuntur ei per charitatem, tertio eorum, qui actu uniuntur ei per fidem, quarto vero eorum, qui ei uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quae tamen est ad actum reducenda secundum divinam praedestinationem; quinto vero eorum, qui in potentia sunt ei uniti, quae nunquam reducetur ad actum, sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt praedestinati. Qui tamen ex hoc mundo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, quia iam non sunt in potentia, ut Christo uniantur"[6]).

Ad haec porro adiungimus aliam ecclesiae descriptionem Thomisticam, quae legitur in „expositione in symbolum apostolorum"[7]). Ibi de articulo „credo unam sanctam ecclesiam" haec Thomas tradit: „Sicut videmus, quod in uno homine est una anima et unum corpus, et tamen sunt diversa membra ipsius, ita ecclesia catholica est unum corpus et habet diversa membra. Anima autem, quae hoc corpus vivificat, est spiritus sanctus. Et ideo post fidem de spiritu sancto, iubemur credere sanctam ecclesiam catholicam: unde additur in symbolo: „„sanctam ecclesiam catholicam.""

„Circa quod sciendum est, quod ecclesia est idem quod congregatio. Unde ecclesia sancta idem est, quod congregatio fidelium, et quilibet Christianus est sicut membrum ipsius ecclesiae. Haec autem ecclesia sancta habet quattuor condiciones: quia est una, quia est sancta, quia est catholica, id est universalis, et quia est fortis et firma."

„Quantum ad primum sciendum est, quod licet diversi haeretici diversas sectas adinvenerint, non tamen pertinent ad ecclesiam, quia sunt divisi in partes: sed ecclesia est una .... Causatur autem unitas ecclesiae ex tribus. Primo ex unitate fidei: omnes enim christiani, qui sunt de corpore ecclesiae, idem credunt: 1 Corinth. 1, 10: „„Id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata"": et Ephes. 4, 10: „„Unus deus, una fides, unum baptisma.""

[6]) Ibid. p. 49 art. 3.

[7]) Tom. XVI opusc. 7 p. 147, art. Sanctum Ecclesiam Catholicam.

Secundo ex unitate spei, quia omnes firmati sunt in una spe perveniendi ad vitam aeternam .... Tertio ex unitate charitatis, quia omnes connectuntur in amore dei, et ad invicem in amore mutuo. Ivan. 17, 22: „„Charitatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus."" Manifestatur autem huiusmodi amor, si verus est, quando membra pro se invicem sunt sollicita, et quando invicem compatiuntur. Ephes. 4, 15 ..... quia quilibet de gratia sibi collata a deo debet proximo servire: unde nullus debet contemnere, nec pati ab ista ecclesia abiici et expelli; quia non est, nisi una ecclesia, in qua homines salventur, sicut extra arcam Noe nullus salvari potuit."

„Circa secundum sciendum, quod est etiam alia congregatio, sed malignantium: Psalm. 25, 5: „„Odivi ecclesiam malignantium."" Sed haec est mala, ecclesia vero Christi est sancta: Apostolus 1, Corinth. 3, 17: „„Templum dei sanctum est, quod estis vos"", unde dicitur „„sanctam ecclesiam."" Sanctificantur autem fideles huius congregationis ex tribus. Primo, quia sicut ecclesia cum consecratur, materialiter lavatur, ita et fideles loti sunt sanguine Christi ..... Secundo ex inunctione, quia, sicut ecclesia inungitur, sic et fideles spirituali inunctione unguntur, ut sanctificentur: alias non essent christiani. Christus enim idem est, quod unctus. Haec autem unctio est gratia spiritus sancti .... Tertio ex inhabitatione trinitatis, nam ubicunque deus inhabitat, locus ille sanctus est. Quarto propter invocationem dei, Jerem. 14, 9: „„Tu autem in nobis es, domine, et nomen tuum invocatum est super nos .....""

„Circa tertium sciendum est, quod ecclesia est catholica, id est universalis, primo quantum ad locum, quia est per totum mundum; Marc. ult. 15: „Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae." Unde antiquitus deus erat notus tantum in Judaea, nunc autem per totum mundum. Habet autem haec ecclesia tres partes. Una est in terra, alia est in coelo, tertia est in purgatorio. Secundo est universalis quantum ad condicionem hominum, quia nullus abiicitur, nec dominus, nec servus, nec masculus, nec femina: Gal. 3, 28: „„Non est masculus neque femina."" Tertium est universalis quantum ad tempus. Nam

aliqui dixerunt, quod ecclesia debet durare usque ad certum tempus. Sed hoc est falsum, quia haec ecclesia incepit a tempore Abel et durabit usque ad finem saeculi: Matth. ult.: „„Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi““, sed post consummationem saeculi remanebit in coelo.

„Circa quartum sciendum est, quod ecclesia est firma. Domus autem dicitur firma, primo si habet bona fundamenta. Fundamentum autem ecclesiae principale est Christus; Apostolus 1 Corinth. 3, 11: „Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.“ Secundarium vero fundamentum sunt apostoli, et eorum doctrina, et ideo firma est, unde in Apoc. 21 dicitur, quod civitas habebat duodecim fundamenta, et erant ibi scripta nomina duodecim apostolorum. Et inde est, quod dicitur ecclesia apostolica. Exinde etiam est, quod ad significandam firmitatem huius ecclesiae B. Petrus dictus est vertex. Secundo apparet firmitas domus, si conquassata non potest destrui. Ecclesia autem nunquam potuit destrui, nec a persecutoribus: immo persecutionibus durantibus magis crevit, et, qui eam persequebantur et, quos ipsa persequebatur, deficiebant: Matth. 21, 44: „„Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum““; nec ab erroribus: immo quanto magis errores supervenerunt, tanto magis veritas manifestata est: 2 Tim. 3, 8: „„Homines mente corrupti, reprobi circa fidem; sed ultra non proficient““; nec a tentationibus daemonum: ecclesia enim est sicut turris, ad quam fugit, quicunque pugnat contra diabolum: Proverb. 18, 10: „„Turris fortissima nomen domini.““ Et ideo diabolus principaliter conatur ad destructionem eius; sed non praevalet, quia dominus dixit Matth. 16, 19: „„Et portae inferi non praevalebunt adversus eam““, quasi dicat: bellabunt adversum te, sed non praevalebunt. Et inde est quod sola ecclesia Petri (in cuius partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad praedicandum) semper fuit firma in fide: et cum in aliis partibus vel nulla fides sit, vel sit commixta multis erroribus, ecclesia tamen Petri et fide viget, et ab erroribus munda est. Nec mirum; quia dominus dixit Petro Luc. 22, 32: „„Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.““

In hac autem Christi corporis mystici notione et definitione et descriptione nemo fortasse Christianus offenditur, in quantum propriae totius communitatis notae Christi fides et gratia intelleguntur. Inde autem ducitur summa diversitas et vehementissima repugnantia, si quis quomodo fides illa et gratia singulis infudantur sive tradantur, vult statuere. Et in hoc ipso, quod ecclesia Romana et catholica exteris et visibilibus signis et institutis organis, scil. sacramentis quasi instrumentis eam gratiam ex institutione Christi hominibus dari firmissime docet ac tenet, cernimus fundamentum et principium totius ordinis hierarchici. Rationes autem sacramentorum multas affert Thomas, e quibus has selegimus: „Sacramenta non erant necessaria necessitate absoluta . . . . sed de necessitate, quae est ex suppositione finis; non ita tamen, quod sine his deus hominem sanare non posset, quia sacramentis virtutem suam non alligavit . . ., sed quia per sacramenta magis congrue fit hominis reparatio . . . . Huiusmodi autem congruitatis causa potest accipi ex hoc, quod homo per peccatum praecipue circa sensibilia corruptus erat, eis detentus, ne in deum surgere posset. Erat autem praedicta corruptio quantum ad cognitionem . . . . Similiter quantum ad affectionem . . . . Similiter etiam quantum ad actionem . . . . Necessarium ergo fuit, ad curationem peccatorum, ut homo ex sensibilibus in spiritualia cognoscenda proficeret, et ut affectum, quem circa ea habebat, in deum referret, et ut eis ordinate et secundum divinam institutionem uteretur; et ideo necessaria fuit sacramentorum institutio, per quae homo ex sensibilibus de spiritualibus eruditur“[8]). Alio loco Thomas „Sacramenta“, inquit, „sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione: quarum prima sumenda est ex condicione humanae naturae, cuius proprium est ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur . . . . et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis, quae sacramenta dicuntur. Secunda ratio sumenda est ex statu

---

[8]) Tom. VII comment. in 4 sent. p. 458 dist. 1 q. 1 art. 2 quaest. 1 solutio.

hominis, qui peccando se subdit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit, ut deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet; nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset corporalibus deditus. Tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humanae, quae praecipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quae consistunt in cultu daemonum vel qualitercunque noxia, quae consistunt in actibus peccatorum“[9]). Et in summa philosophica ratione ex natura hominis allata has duas alias addit: „Prima et universalis causa humanae salutis est Verbum incarnatum .... Congruum igitur fuit, ut remedia, quibus universalis causae virtus pertingit ad homines, illius causae similitudinem haberent, ut scil. in eis virtus divina invisibiliter operaretur sub visibilibus signis.“ Et eodem loco alia legitur ratio: „Homo in peccatum lapsus erat, rebus visibilibus indebite inhaerendo. Ne igitur crederetur, visibilia ex sui natura mala esse et propter hoc ei inhaerentes peccasse per ipsa visibilia, congruum fuit, quod hominibus remedia salutis adhiberentur, ut sic appareret, ipsa visibilia ex sui natura bona esse, velut a deo creata, sed hominibus noxia fieri, secundum quod eis inordinate inhaerent, salutifera vero, secundum quod ordinate eis utuntur“[10]).

Secundum has sacramentorum rationes proponit Thomas notionem et definitionem. Optima et brevissima legitur ita: „Sacramentum novae legis est invisibilis gratiae visibilis forma, ut eius similitudinem gerat et causa exsistat“[11]). Sacramenta igitur sunt proprie *causa instrumentalis* gratiae et salutis: „In sacramentis est gratia *sicut in instrumento*“[12]). „Nec est inconveniens, quod per res visibiles et corporales spiritualis salus mi-

[9]) Tom. IV p. 266 q. 61 art. 1.
[10]) Tom. V p. 354 lib. IV cap. 56.
[11]) Tom. XVI p. 119 opusc. IV in art. fidei et sacram. eccl.
[12]) Tom. VII p. 464 com. in 4 sent. dist. 1 art. 4 solutio 4.

nistretur, quia huiusmodi visibilia sunt quasi quaedam *instrumenta* dei incarnati et passi. Instrumentum autem non operatur ex virtute suae naturae, sed ex virtute principalis agentis, a quo applicatur ad operandum. Sic igitur et huiusmodi res visibiles salutem spiritualem operantur non ex proprietate suae naturae, sed ex institutione ipsius Christi, ex qua virtutem *instrumentalem* consequuntur“[13]).

Et cum in universum instrumenti et instrumentales voces in sacramentis exponendis a Thoma adhibeantur, facile intellegitur, quid valeat et quomodo inveteraverit catholicorum doctorum sermo, quo sacramenta ex „*opere operato*“ gratiam efficere dicunt.

Cetera sacramentorum doctrina relicta, ex diversa eorum divisione ea ratio est commemoranda, qua sacramenta considerantur „remedia aut unius personae aut totius ecclesiae.“ „Si primo modo, aut quantum ad ingressum, et sic est baptismus, aut quantum ad egressum et sic est extrema unctio: aut quantum ad progressum et sic est dupliciter: uno modo quantum ad executionem virtutis, vel ut a malis non superemur; et quantum ad hoc est confirmatio, vel ut bonis adhaereamus, et quantum ad hoc est Eucharistia; alio modo quantum ad reparationem virtutis, et sic est poenitentia. Si in remedium totius ecclesiae, aut in regimen et multiplicationem ipsius spiritualem, et sic est ordo, quia principatus bonum multitudinis est secundum philosophum in 5 Ethic. (cap. 2 et 3), aut quantum ad multiplicationem materialem fidelium et sic est matrimonium“[14]). Eadem de sacramentis ad communitatem fidelium spectantibus invenitur sententia aliis locis. „Quantum autem ad communem ecclesiae communitatem ordinantur duo sacramenta, scil. ordo et matrimonium, nam per ordinem ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter, et per matrimonium multiplicatur corporaliter“[15]). „Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter, uno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem et exercendi actus publicos, et loco huius in spirituali vita est sacramentum ordinis,

[13]) Tom. V p. 355 contra gentes l. IV, c. 56.
[14]) Tom. VII p. 481.
[15]) Tom. XVI p. 119, opusc. IV.

secundum illud Hebr. 7, quod sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo; secundo quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium tam in corporali quam in spirituali vita, eo quod est non solum sacramentum, sed naturae officium“ [16]).

Ordo igitur spiritualis regiminis et fidei condendae ratione est sacramentum insignitum, quod solum „propagatoribus et conservatoribus spiritualis vitae secundum spirituale ministerium tantum, ad quod pertinet“ [17]), confertur. Necessarium eum esse, postquam spiritualem gratiam visibilium rerum sacramentis tradi hominibus singulis oportere probavit, facile persuadet Thomas ita: „Deus sua opera in suam similitudinem perducere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent et per ea cognosci posset, et ideo ut in suis operibus repraesentaretur non solum, quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem posuit omnibus, ut ultima per media perficerentur et media per prima, ut Dionysius dicit (de ecclesiast. hierarch. cap. 9). Et ideo, ut ista pulchritudo ecclesiae non deesset, posuit ordinem in ea, ut quidam aliis sacramenta traderent, suo modo deo quasi in hoc assimilati, quasi deo cooperantes, sicut etiam in corpore naturali quaedam membra aliis influunt“ [18]). Itaque hoc sacramentum consistit principaliter in potestate tradita“ [19]); „ordo requirit subiectionem et praelationem“ [20]) et „ideo in forma ordinis exprimitur usus ordinis per actum, qui imperatur, et exprimitur traduct potestatis per imperativum modum“ [21]). Ordo porro, etsi gratiam in suscipiente iam exsistentem poscit et auget, „tamen non attenditur per distinctionem gratiae gratum facientis, sed per distinctionem potestatis“ [22]). In ordine igitur est non solum quaedam potentia spiritualis ad recipiendum et ita quodammodo passiva, sicut „in

[16]) Tom. IV p. 285 q. 65 art. 1.
[17]) Tom. V p. 355 contr. gent. l. IV c. 58.
[18]) Tom. VII p. 888 Comm. in 4 lib. sent. dist. 24 art. 1 sol. 1.
[19]) Tom. VII p. 889 dist. 24 art. 1 sol. 4.
[20]) Ibid. p. 887 art. 1 quaestiunc. 1 obiectio 1.
[21]) Ibid. p. 889 solutio 4. [22]) Ibid. p. 888 sol. 1 ad 3.

baptismo etiam quaedam spiritualis potestas datur accedendi ad sacramenta“ [23]), sed „proprie potestas nominat potentiam activam cum aliqua praeeminentia“ [24]). Hoc denique sacramentum est dignius aliis sacramentis, in quantum „constituit suscipientes in aliquo gradu super alios.“

Activae autem, quae in ordine inest, potestatis duos actus esse docet Thomas Aquinas: „unum principaliter supra corpus Christi verum transsubstantiatione panis et vini conficiendum, alterum secundarium supra corpus Christi mysticum. Secundus autem actus dependet a primo, sed non convertitur [25]).“ Qui quomodo inter se referantur, ex hoc fortasse loco optime cognoscitur: „Quia vero potestas ordinis ad dispensationem sacramentorum ordinatur, inter sacramenta autem nobilissimum et consummativum aliorum est eucharistiae sacramentum . . . . oportet, quod potestas ordinis consideratur praecipue secundum comparationem ad hoc sacramentum, nam unumquodque denominatur a fine. Eiusdem autem virtutis esse videtur aliquam perfectionem tribuere et ad susceptionem illius materiam praeparare, sicut ignis virtutem habet, ut formam suam transfundat in alterum et ut materiam disponat ad formae susceptionem. Quum igitur potestas ordinis ad hoc se extendat, ut sacramentum corporis Christi conficiat et fidelibus tradat, oportet, quod eadem potestas ad hoc se extendat, quod fideles aptos reddat et congruos ad huius sacramenti perceptionem. Redditur autem aptus et congruus fidelis ad huius sacramenti perceptionem per hoc, quod est a peccatis immunis; non enim potest aliter Christo spiritualiter uniri, cui sacramentaliter coniungitur hoc sacramentum percipiendo. Oportet igitur, quod potestas ordinis se extendat ad remissionem peccatorum per dispensationem illorum sacramentorum, quae ordinantur ad peccati remissionem, cuiusmodi sunt baptismus et poenitentia . . . . . Unde . . . . . dominus discipulis, quibus commisit sui corporis consecrationem, dedit etiam potestatem remittendi peccata, quae quidem potestas per claves intellegitur, de quibus dominus Petro dixit: „Tibi dabo claves regni coelorum“ Matth. 16, 19;

[23]) Ibid. p, 887 quaestiunc. 2 ad 3.
[24]) Ibid. p. 889 sol. 2 ad 3.
[25]) Ibid. p. 893 sol. 2 ad 1.

coelum enim unicuique clauditur et aperitur per hoc, quod peccato subiacet, vel a peccato purgatur, unde et usus harum clavium dicitur esse ligare et solvere, scil. a peccatis[26])."

Quamobrem, quid sit potestas clavium, quae cum potestate ordinis traditur, est considerandum. „Dedit etiam potestatem remittendi peccata, quae quidem potestas per claves intellegitur." Sed cur plures claves dantur? Doctores, qui ante Thomam floruerunt et praesertim Petrus Lombardus, unam clavem ipsam remittendi potestatem, alteram scientiam, qua debet iudex ecclesiasticus pollere, exposuerant, quibus „claviolam" adiunxerant „industriam naturalem", qua quis sacerdos scientia et infusa et acquisita carens in remittendis peccatis ageret[27]). At Thomas: „scientia non est clavis, sed auctoritas actum scientiae exercendi", et claves duas in universum ita exponit: „In omni actu, qui requirit idoneitatem ex parte recipientis, duo sunt necessaria ei, qui debet actum illum exercere: scil. iudicium de idoneitate recipientis et expletio actus ...... Et quia actus clavis requirit idoneitatem in eo, in quem exercetur, quia recipit per clavem iudex ecclesiasticus dignos et excludit indignos ..... ideo indiget iudicio discretionis, quo idoneitatem iudicat, et ipso receptionis actu; et ad utrumque horum potestas quaedam sive auctoritas requiritur. Et secundum hoc duae claves distinguuntur, quarum una pertinet ad iudicium de idoneitate eius, qui absolvendus est, et alia ad ipsam absolutionem. Et hae duae claves non distinguuntur in essentia auctoritatis, qua utrumque ex officio sibi competit, sed ex comparatione ad actus, quorum unus alium praesupponit[28])."

Itaque inest in ecclesia duplex potestas, quae quidem dicitur potestas ordinis et potestas iurisdictionis. Et quoniam ordinis potestas cernitur in conficiendo Christi corpore vero et in populo christiano, qui est corpus Christi mysticum, immediate per peccatorum remissionem ad illud suscipiendum praeparando, haec quidem „est aequaliter in omnibus sacerdotibus"; „supra corpus Christi verum consecrandum papa non habet maiorem potestatem, quam

[26]) Tom. V p. 366 lib. IV c. 74.
[27]) Tom. VII p. 810. Comm. in 4 sent. dist. 18 q. 1 art. 1 sol. 3 ad 2.
[28]) Tom. VII p. 809 dist. 18 q. 1 art. 1 sol. 3.

simplex sacerdos[29])"; „potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda[30])." Secunda autem potestas, iurisdictionis scil., non est in omnibus sacerdotibus, sed „a maioribus in inferiores descendit"; rationem autem huius rei sumit Thomas cum omnibus catholicis ex sacrae scripturae locis Joh. 20 et Matth. 16: „Ubi dominus, Joh. 20, dedit omnibus apostolis communiter potestatem, remittendi peccata, intellegitur de potestate, quae consequitur ordinem; unde et sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro dedit singulariter potestatem remittendi peccata, Matth. 16, ut intellegatur, quod ipse prae aliis habet potestatem iurisdictionis. Potestas autem ordinis, quantum est de se, se extendit ad omnes absolvendos; et ideo indeterminate dominus „„quorum remiseritis peccata"", intellegens tamen, quod usus illius potestatis esse deberet praesupposita potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem[31])."

X.
De episcopis et archiepiscopis.

Postquam doctrinam, quam Thomas de sacerdotio habet, exposuimus, iam transeundum est ad superiores gradus ordinis hierarchici. Et quoniam iam Thomae verba, quibus et episcopatum et papatum iure divino in Petro et ceteris apostolis constitutum esse docet, apposuimus, nunc singulas eorum rationes, munera, privilegia secundum Thomae verba manifestabimus.

„Quia vero omnium horum ordinum (sc. septem) collatio cum quodam sacramento perficitur, sacramenta vero ecclesiae sunt per aliquos ministros dispensanda, ideo necesse est, aliquam superiorem potestatem esse in ecclesia, alicuius altioris ministerii, quae ordinis sacramentum dispensat; et haec est episcopalis potestas, quae etsi quantum quidem ad consecrationem corporis Christi non excedit sacerdotis potestatem, excedit tamen eam in his, quae pertinent

[29]) Ibid. p. 906 dist. 25 q. 1 art. 1 ad 3.
[30]) Ibid. p. 827 dist. 19 q. 1 art. 3 sol. 1, 2, 3.
[31]) Ibid. p. 828 sol. 1 ad 1.

ad fideles, nam et ipsa sacerdotis potestas ex episcopali derivatur, et quidquid arduum circa populum fidelem est agendum, episcopis reservatur, quorum auctoritate etiam sacerdotes possunt, quod eis agendum committitur ..... Sic igitur manifestum est, quod summa potestas regiminis fidelis populi ad episcopalem pertinet dignitatem[1])."

„Sacerdos habet duos actus, scil. consecrare verum corpus Christi, alium secundarium, scil. praeparare populum ad susceptionem huius sacramenti .... Quantum autem ad primum actum, actus sacerdotis non dependet ab aliqua superiore potestate, nisi divina; sed quantum ad secundum, dependet ab aliqua superiore potestate et humana. Omnis enim potestas, quae non potest exire in actum, nisi praesuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate, quae illas ordinationes facit. Sacerdos autem non potest absolvere et ligare, nisi praesupposita praelationis iurisdictione, qua sibi subdantur illi, quos absolvit; potest autem consecrare quamlibet materiam determinatam, nec aliud requiritur quantum est de necessitate sacramenti ... Et ita patet, quod oportet esse supra sacerdotalem potestatem episcopalem, quantum ad actum secundarium sacerdotis, non autem quantum ad primum"[2]).

„Divina ministeria debent esse magis ordinata, quam humana. Sed humanorum officiorum ordo exigit, ut in quolibet officio proponatur unus, qui sit princeps illius officii, sicut proponitur militibus dux. Ergo et sacerdotibus debet aliquis praeponi, qui sit sacerdotum princeps, et hic est episcopus"[3]). Quare quaeritur, utrum episcopatus sit ipse novus ordo? „Ordo potest accipi dupliciter: uno modo secundum quod est sacramentum, et sic ordinatur omnis ordo ad eucharistiae sacramentum; unde cum episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote, quantum ad hoc, non erit episcopatus ordo. Alio modo potest considerari ordo secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum; et sic, cum episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis, respectu corporis mystici supra sacerdotem, episcopatus erit ordo"[4]).

[1]) Tom. V p. 367 c. g. l. IX c. 76.
[2]) Tom. VII p. 901 comm. in 4 sent. dist. 24 q. 3 art. 2 sol. 1.
[3]) Tom. VII p. 900 com. in 4 sent. dist. 24 q. 3 art. 2 quaest. 1.

Sed his rationibus additur lex divina, quae episcopum super sacerdotes esse iubet. „Potestas sacerdotis naturaliter et ex iure divino subditur potestati episcopi .... Sacerdos, qui ex iure divino episcopo subditur, in omnibus est ei subiectus"[5]). Nam „sacerdotes succedunt in locum septuaginta duorum discipulorum, episcopi vero in locum duodecim apostolorum"[6]).

Inter ipsos autem episcopos sunt diversi gradus, partim iuris humani, partim iuris divini. Humani iuris est „quadripartitus episcoporum ordo": Patriarcha, archiepiscopus, metropolitanus, episcopus. „Inter episcopum simplicem et papam sunt alii gradus dignitatum correspondentes gradibus unionis; secundum quos una congregatio vel communitas includit aliam." Haec autem „distinctio episcopalis dignitatis et ordinatio unius superalium .... est a gentilibus introducta; in vetere autem lege non erat" „quod ritus Judaeorum non erat diffusus in diversis regnis et provinciis, sed tamen in una gente; et ideo non oportebat, quod sub eo, qui habebat potestatem principalem, alii pontifices distinguerentur. Sed ecclesiae ritus, sicut et gentilium per diversas nationes diffunditur. Et ideo oportet, quantum ad hoc, ut magis gentilium ritui, quam Judaeorum, status ecclesiae conformetur"[7]). „Episcopus subditur archiepiscopo solum ex ordinatione ecclesiae"[8]). Constat, quod archiepiscopus non habeat immediatam iurisdictionem in illos, qui sunt de dioecesi episcopi, nisi causa ad eum deferatur; sed episcopus habet immediatam iurisdictionem in parochianos sacerdotis, cum possit quemlibet coram se citare et excommunicare, quod archiepiscopus non potest in subditis episcoporum"[9]).

Divino vero iure super episcopos est unus et solus constitutus papa, de quo nunc est agendum.

[4]) Ibid. p. 901 sol. 2.
[5]) Tom. XV p. 22 opusc. 1 contra impugn.
[6]) Ibid. p. 15.
[7]) Tom. VII p. 902 sol. 3 ad 2.
[8]) Tom. XV p. 22.
[9]) Tom. XV p. 21 et 22.

XI.
De papa.

Quis est papa et quam habet potestatem? „Manifestum est, quod quamvis populi distinguantur per diversas dioeceses et civitates, tamen, sicut est una ecclesia, ita oportet esse unum populum christianum. Sicut igitur in uno speciali populo unius ecclesiae requiritur unus episcopus, qui sit totius populi caput, ita in toto populo christiano requiritur, quod unus sit totius ecclesiae caput."

„Item: ad unitatem ecclesiae requiritur, quod omnes fideles ecclesiae in fide conveniant. Circa vero ea, quae fidei sunt, contingit quaestiones moveri. Per diversitatem autem sententiarum divideretur ecclesia, nisi in unitatem per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem ecclesiae conservandam, quod sit unus, qui toti ecclesiae praesit. Manifestum est autem, quod Christus in necessariis ecclesiae non deficit .... Non est ergo dubitandum, quin ex ordinatione Christi unus toti ecclesiae praesit."

„Adhuc: Nulli dubium esse debet, quin ecclesiae regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem reges regnant et legum conditores iusta decernunt. Proverb. 8, 15. Optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum, quod patet ex fine regiminis, qui est pax; pax enim et unitas subditorum est finis regentis. Unitatis autem congruentior causa est unus, quam multi. Manifestum est igitur regimen ecclesiae sic esse dispositum, ut unus ecclesiae praesit."

„Amplius: Ecclesia militans ex triumphanti ecclesia per similitudinem derivatur .... In triumphanti autem ecclesia unus praesidet, qui etiam praesidet in toto universo, scil. deus ..... Ergo et in ecclesia militante unus est, qui praesidet universis".

„Si quis autem dicat, quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius ecclesiae sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod omnia ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit; ipse enim est, qui baptizat, ipse

est, „qui peccata remittit, ipse est verus sacerdos, qui in ara crucis et cuius virtute corpus eius in altari quotidie consecratur; et tamen, quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensaret .... Eadem igitur ratione, quia praesentiam corporalem erat ecclesiae subtracturus, oportuit, ut alicui committeret, qui loco sui universalis ecclesiae gereret curam".

Quando instituit papam Christus?

„Hinc est, quod Petro dixit ante ascensionem: „„Pasce oves meas"", Ioann. 21, 17 et ante passionem: „„Tu aliquando conversus confirma fratres tuos"" Luc. 22, 23, et ei soli promisit: „„Tibi dabo claves regni coelorum"", Matth. 16, 19, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam ecclesiae unitatem".

Christus autem voluit papam semper in ecclesia esse. Nam „non potest autem dici, quod etsi Petro hanc dignitatem dederit, per eum tamen ad alias non derivatur. Manifestum est enim, quod Christus ecclesiam sic instituit, ut esset usque ad finem saeculi duratura ... Manifestum est igitur, quod ita illos, qui tunc erant in ministerio, constituit, ut eorum potestas derivaretur, ad posteros, pro utilitate ecclesiae, usque ad finem saeculi". Cui autem reliquit Petrus suam potestatem? „Per hoc autem excluditur quorundum praesumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia et subiectione Petri, successorem eius Romanum pontificem, universalis ecclesiae pastorem non recognoscentes"[1]).

Petrus enim condidit primus ecclesiam Romanam. „Quod praedicator non debet aedificare super fundamentum alienum, dicendum, quod falsum est .... Alias non licuisset Ioanni Evangelistae praedicare Ephesi, ubi Paulus fidem plantaverat, aut Paulo praedicare Romae, ubi Petrus eum praevenerat"[2]). „In glossa dicitur, quod aliqui fideles ante, quam Petrus, Romanis praedicaverunt. In ecclesiastica vero historia dicitur, quod Petrus primus praedicavit eis. Sed intellegendum est primus inter apo-

[1]) Tom. V p. 367 et 368 c. g. IV, 76.
[2]) Tom. XV p. 20.

stolos et cum sequela magni fractus. Ante vero praedicaverat Romae Barnabas, ut habetur in itinerario Clementis"[3]).

Petrus igitur et eius successor, Romanae ecclesiae pontifex dicitur „vicarius Christi", „vertex ecclesiae", „caput visibile", „sponsus ecclesiae". Papa habet „plenitudinem potestatis", „in totam ecclesiam Christi universalem praelationem", „summam et plenam curam fidelium."

Sed iam, quae universali praelatione, plenitudine potestatis, summa cura contineantur, ex Thomae verbis colligamus.

Primum Christus non omnem suam tradidit potestatem, quam habuit: „Christus in sacramentis habuit duplicem potestatem: unam auctoritatis, quae competit ei secundum quod est deus, et talis potestas nulli creaturae potuit communicari, sicut nec divina essentia: aliam potestatem habuit excellentiae, quae competit ei secundum quod homo, et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scil. eis tantam gratiae plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio" . . . .[4]).

Sed „praetermisit potestatem excellentiae ecclesiae ministris communicare . . . propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent, et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in ecclesia oriretur"[5]). „Apostoli et eorum successores sunt vicarii dei quantum ad regimen ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem neque instituere alia sacramenta"[6]). „Ministri ecclesiae instituuntur in ecclesia divinitus fundata; et ideo institutio ecclesiae praesupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis praesupponitur ad opus naturae. Et quia ecclesia fundatur in fide et sacramentis, ideo ad ministros ecclesiae nec novos articulos fidei edere, aut editos removere aut

[3]) Tom. XIII p. 3, prologus in expos. omn. S. Pauli epist. De hoc itinerario cf. Alzog, Grundriss der Patrologie 1866, p. 26.

[4]) Tom. IV p. 280 q. 64 art. 4 in corp. [5]) Ibid. ad 1.

[6]) Ibid. p. 279 q. 64 art. 2 ad 3.

nova sacramenta instituere aut instituta removere pertinet; sed hoc est potestatis excellentiae, quae soli debetur Christo, qui est ecclesiae fundamentum. Et ideo sicut papa non potest dispensare, ut aliquis sine baptismo salvetur, ita quod nec salvetur sine confessione"[7]).

Quare, cum papae de fide et sacramentis potestas non sit infinita, ita ut ea non possit mutare aut eis derogare, quaeritur, quid tandem de sacramentis et fidei articulis a Christo institutis possit agere. „Veritas fidei in sacra scriptura diffuse continetur, et variis modis et in quibusdam obscure; ita quod ad eliciendam fidei veritatem ex sacra scripturae requiritur longum studium et exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem, quorum plerique aliis negotiis occupati studio vacare non possunt." „Et ideo necessarium fuit fidei veritatem in unum colligi, ut facilius possit omnibus proponi ne aliquis per ignorantiam fidei a veritate deficeret[8])." „Nova autem editio (scil. symboli) necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi pontificis, ad quem maiores et difficiliores ecclesiae quaestiones referuntur . . . . . Ed ideo ad solam auctoritatem summi pontificis pertinet nova editio symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam ecclesiam, ut congregare synodum generalem et alia huiusmodi[9])." Quam ob rem Thomae ecclesiae Romanae eiusque antistiti infallibilitatem, quam dicunt, quasi partem primatus attribuit; maxime etiam hoc loco ea declarantur: „Sola ecclesia Petri (in cuius partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad praedicandum) semper fuit firma in fide; et cum in aliis partibus vel nulla fides sit, vel sit commixta multis erroribus, ecclesia tamen Petri et fide viget et ab erroribus munda est. Nec mirum, quia dominus dixit Petro Luc. 22, 32: „Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua[10])."

[7]) Tom VII p. 795 comm. in 4 sent. dist. 17 q. 3 art. 1 sol. 5.

[8]) Tom. III p. 8 q. 1 art. 9. [9]) Ibid. p. 9 q. 1 art. 10.

[10]) Tom. XVI p. 148 opusc. 7 in symbol. apost.

Sed ad quae infallibilitas se extendit? „Dico ergo, quod iudicium eorum, qui praesunt ecclesiae, potest errare in quibuslibet, si personae eorum tantum respiciantur. Si vero consideratur divina providentia, quae ecclesiam suam spiritu sancto dirigit, ut non erret . . . certum est, quod iudicium ecclesiae universalis errare in his, quae ad fidem pertinent, impossibile est. Unde magis est standum sententiae papae, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quam quorumlibet sapientium hominum in scripturis opinioni . . . In aliis vero sententiis, quae ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de huiusmodi, possibile est iudicium ecclesiae errare propter falsos testes. Canonizatio sanctorum medium est inter haec duo: quia tamen honor, quem sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus, pie credendum, quod nec etiam in his iudicium ecclesiae errare possit[11]).“

Quantum autem ad sacramenta, papa „potest quaedam, quae sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem.“ „Ex plenitudine potestatis concessit B. Gregorius papa, quod simplices sacerdotes hoc sacramentum (scil. confirmationem) conferrent, quamdiu scandalum tolleretur,“ cum alias „collatio huius sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in ecclesia[12]).“ Porro papa potest instituere novas religiones et ordines: „Etsi duo ordines tantum essent instituti a domino, qui possent praedicare propria auctoritate, posset tamen ecclesia tertium ordinem statuere praedicatorum, qui pia auctoritate praedicarent; et praecipue papa, qui habet plenitudinem potestatis in ecclesia[13]).“ „Salubriter institutum est, ne nova religio nisi auctoritate summi pontificis instituatur[14]).“ Potest pontifex summus casus excipere, a quibus solus absolvere vult: „A minore excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere

[11]) Tom. IX p. 599 quodl. 9 art. 16.

[12]) Tom. IV p. 332 q. 72 art. 11. De eadem re tom. VII p. 577 dist. 7 q. 3 art. 1.

[13]) Tom. XV p. 19 et 20. Cf. tom. III p. 650 et 651 q. 188 art. 3, 4, 5.

[14]) Tom. III p. 649 q. 188 art. 1 ad 4.

a peccato participationis. Si autem est maior, aut est lata a iudice, et sic ille, qui tulit, vel eius superior potest absolvere; vel lata a iure, et tunc episcopus, vel etiam sacerdos potest absolvere exceptis sex casibus, quos sibi iuris conditor scil. papa reservavit. Primus est, cum aliquis iniicit manus in clericum vel religiosum. Secundus est de illo, qui incendit ecclesiam et est denunciatus. Tertius est de illo, qui frangit et denunciatus est. Quartus est de illo, qui in divinis scienter communicat excommunicatis nominaliter a papa. Quintus de illo, qui falsat literas apostolicae sedis. Sextus de illo, qui excommunicatis in crimine communicat[15]).“ Pari ratione papae Aquinas summam de matrimonii sacramento statuendi tribuit potestatem: „Judicium ecclesiae circa ea, quae ad matrimonium pertinent, si veritas lateat, non impedit sequens matrimonium contrahendum, nec dirimit iam contractum. Alio modo se habet per modum prohibentis vel punientis; et hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit iam contractum . . . Tertio modo se habet per modum statuentis, quod fit solum auctoritate summi pontificis; et secundum hoc personae aliquae redduntur illegitimae ad contrahendum, ita quod, si etiam contrahant, matrimonium dirimitur, ut patet in quibusdam gradibus consanguineitatis et affinitatis, vel etiam de adultera, cum quis dedit ei fidem de contrahendo, vel cum machinatus est in mortem uxoris[16]).

Sed etiam summam dispensandi a legibus in ecclesia papa habet potestatem: „In corpore humano quaedam sunt actiones, quae solum principalibus membris conveniunt, et quaedam etiam soli capiti. Sed in ecclesia vicem capitis tenet papa, et vicem principalium membrorum praelati maiores, ut episcopi. Ergo aliquae dispensationes sunt, quae solus papa potest facere[17]).“ Rationem autem et modum et ambitum dispensationum, quas potest facere papa, convenienter ita determinat doctor angelicus: „Papa habet plenitudinis potestatis in ecclesia ita scil., quod quaecunque sunt instituta per ecclesiam vel ecclesiae praelatos, sunt dispensabilia a

[15]) Tom. VII p. 821 com. in 4 sent. dist. 18 q. 2 art. 5 sol. 1.

[16]) Tom. IX p. 535 quodl. 5 q. 8 art. 15 ad. 1.

[17]) Tom. VII com. in 4 sent. dist. 38 q. 1 art. 4 quaest. 2.

papa. Haec enim sunt, quae dicuntur esse iuris humani vel iuris positivi. Circa ea vero, quae sunt iuris divini vel iuris naturalis, dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione divina. Ius autem divinum est, quod pertinet ad legem novam vel veterem. Sed haec differentia est inter utramque, quia lex vetus determinabat multa, tam in praeceptis caeremonialibus pertinentibus ad cultum dei, quam etiam in praeceptis iudicialibus pertinentibus ad iustitiam inter homines conservandam. Sed lex nova, quae est lex libertatis, huiusmodi determinationes non habet, sed est contenta praeceptis moralibus naturalis legis et articulis fidei et sacramentis gratiae. Unde et dicitur lex fidei et lex gratiae, propter determinationem articulorum fidei et efficaciam sacramentorum. Cetera vero, quae pertinent ad determinationem humanorum iudiciorum, vel ad determinationem divini cultus, libere promisit Christus, qui est novae legis lator, praelatis ecclesiae et principibus christiani populi determinanda; unde huiusmodi determinationes pertinent ad ius humanum, in quo papa potest dispensare. In solis vero his, quae sunt de lege naturae et in articulis fidei et sacramentis novae legis dispensare non potest; hoc enim non esset posse pro veritate, sed contra veritatem[18]).“

Quam ob rem si „obiicitur, quod Romanae sedis auctoritas non potest aliquid condere vel mutare contra statuta sanctorum patrum, dicendum, quod verum est in illis, quae statuta sanctorum determinaverunt esse de iure divino, sicut articuli fidei, determinati per concilia; sed illa, quae sancti patres determinaverunt esse de iure positivo, sunt relicta sub dispositione papae, ut possit ea mutare et dispensare secundum opportunitatem temporum et negotiorum. Sancti enim patres in conciliis congregati nihil statuere possunt nisi auctoritate Romani pontificis interveniente, sine quo etiam concilium nec congregari potest. Nec tamen papa quando aliter facit, quam a sanctis patribus statutum sit, contra eorum statuta facit, quia servatur intentio statuentium, etiamsi non servantur verba statutorum, quae non possunt in omnibus casibus et

[18]) Tom. IX p. 514 quodl. IV art. 13 in corp.

in omnibus temporibus observare, servata intentione statuentium, quae est utilitas ecclesiae, sicut et in omni iure positivo accidit[19]).“

Summam vero perspicuitatem potestatis papalis praebet Aquinas, cum haec dicat: „Nec tamen hoc est verum, quod papa non possit aliquid facere contra apostolum[20]).“ Nam „apostolus dupliciter in doctrina sua aliqua proposuit, quaedam quidem sicut promulgans ius divinum . . . . . et in hoc papa non potest dispensare. Quaedam vero sicut propria auctoritate aliqua statuens . . . . . quod non pertinet ad ius divinum[21]).“ „Dispensat enim cum bigamo, et in poena, quam canones apostolorum statuerant presbytero fornicanti[22]).“ „Et similiter, quod dicitur de bigamo non promovendo, non est iuris divini, sed institutio auctoritatis humanae divinitus homini concessae[23]).“ „Contra ius divinum non licet dispensare; sed omnia, quae in canone dicuntur, ad ius divinum pertinent . . . Dicendum, quod hoc verum est quantum ad ea, quae sunt de iure naturali et quantum ad ea, quae sunt de necessitate sacramentorum et fidei. Sed in aliis, quae sunt de institutione apostolorum, cum ecclesia habeat nunc eandem potestatem statuendi et destruendi, quam tunc habuit, potest per eum, qui primatum in ecclesia tenet, dispensari[24]).“

Singulas autem res, a quibus medio aevo dispensaverit papa, Thomas has affert praeter iam commemoratum sacramentorum ritum. Primo de votis: „Quia summus pontifex gerit plenarie vicem Christi in tota ecclesia, ipse habet plenitudinem dispensandi in omnibus dispensabilibus votis. Aliis autem inferioribus praelatis committitur dispensatio in votis, quae communiter fiunt et indigent frequenti dispensatione, ut habeant de facili homines, ad quem recurrant; sicut sunt vota peregrinationum et ieiuniorum et aliorum huiusmodi. Vota vero maiora, puta continentiae et peregri-

[19]) Tom. XV p. 22 et 23. [20]) Tom. XV ibid.
[21]) Tom. IX loc. cit. ad 1.
[22]) Tom. XV loc. cit.; de canonibus apostolorum cf. Alzog, Grundriss der Patrologie 1866, p. 26.
[23]) Tom. IX l. cit.
[24]) Tom. VII p. 936 com. in 4 sent. dist. 27 q. 3 art. 3 ad 2.

nationis terrae sacrae, reservantur summo pontifici[25])." „Plenitudo potestatis in dispensando residet penes summum pontificem; alii autem participant de hac potestate, quantum eis concessum est, ut, quia omnes ad unum recurrere non possunt, per inferiores dispensationem recipere possunt. Unde in votis illis, quae non de facili dispensationem recipiant nec frequenter, sed raro, sicut votum religionis et alia huiusmodi vota perpetua, solus papa dispensare potest; in aliis autem temporalibus votis, sicut peregrinationum et ieiuniorum et huiusmodi, possunt etiam episcopi dispensare, nisi aliquid horum papa sibi reservaverit, sicut dispensationem in voto terrae sanctae[26])." Sed in voto continentiae est hoc observandum: „Non est essentialiter annexum debitum continentiae ordini sacro, sed ex statuto ecclesiae; unde videtur, quod per ecclesiam possit dispensari in voto continentiae solemnizato per susceptionem sacri ordinis. Est autem debitum continentiae essentiale statui religionis, per quem homo abreniuntat saeculo totaliter dei servitio mancipatus, quod non potest simul stare matrimonio .... Et ideo in voto solemnizato per professionem religionis non potest per ecclesiam dispensari"[27]). „Non potest facere aliquis ecclesiae praelatus, ut id, quod est sanctificatum, sanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, puta quod calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer. Unde multo minus potest hoc facere aliquis praelatus, ut homo deo consecratus, quamdiu vivit, consecratus esse desinat. Solemnitas autem voti consistit in quadam consecratione seu benedictione viventis .... Et ideo non potest fieri per aliquem praelatum ecclesiae, quod ille, qui votum solemne emisit, desistat ab eo, ad quod est consecratus, puta quod ille, qui est sacerdos, non sit sacerdos, licet possit praelatus ob aliquam causam executionem ordinis inhibere. Et simili ratione papa non potest facere, quod ille, qui est professus religionem, non sit religiosus, licet quidam iuristae ignoranter contrarium dicant"[28]). Atat id, quod iuristas per ignorantiam

[25]) Tom. III p. 327 q. 88 art. 12 ad 3.
[26]) Tom. VII p. 1012 dist. 38 q. 1 art. 4 sol. 2.
[27]) Tom. III p. 326 q. 88 art. 11.
[28]) Tom. III ibid.

fugisse hoc loco legitur, Thomas ipse alio loco affirmaverat: „In voto continentiae, quod in voto religionis includitur, et in aliis votis essentialibus religioni, non potest dispensari, ut quidam dicunt. Sed hoc etiam non videtur sufficienter dictum, quia bonum commune est multo melius, quam bonum privatum. Et ideo alii dicunt probabilius, si communis utilitas totius ecclesiae aut unius regni vel provinciae exposceret, posse convenienter et in voto continentiae et in voto religionis dispensari, quantumcunque esset solemnizatum. Non enim per votum potest se homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri ...., unde talis posset imminere necessitas, quod posset alicui iuste prohiberi, ne continentiam aut religionem voveret; et eadem necessitate manente, potest etiam in voto dispensari iam facto"[29]).

Deinde „vota paupertatis et continentiae sunt adeo annexa regulae monachali, ut contra ea nec summus pontifex licentiam possit indulgere ..... potest tamen indulgere, ut religiosus non obediat suo praelato"[30]) id est, „Papa in voto obedientiae non potest sic cum religioso dispensare, ut nullo praelato teneatur obedire in his, quae ad perfectionem vitae pertinent, non enim potest eum a sua obedientia eximere; potest tamen eum eximere ab inferioris praelati subiectione, quod non est in. voto obedientiae dispensare"[31]).

De ieiuniis tum haec: „Ieiunium in communi cadit sub praecepto legis naturae; sed determinatio temporis et modi ieiunandi secundum convenientiam et utilitatem populi christiani, cadit sub praecepto iuris positivi, quod est a praelatis ecclesiae institutum"[32]). „. . Ieiunia, quae sunt in praecepto, sunt in conciliis episcoporum statuta et consuetudine universalis ecclesiae roborata. Nec sunt contra libertatem populi fidelis, sed magis sunt utilia ad impediendam servitutem peccati, quae repugnat libertati spirituali"[33]). „Non omnes, qui non servant ieiunia, peccant mortaliter"[34]). „Nam si causa sit evidens, per se ipsum licite potest

[29]) Tom. VII p. 1011 dist. 38 q. 1 art. 4 sol. 1 ad 3.
[30]) Tom. III p. 638 q. 186 art. 8 obiectio 3.
[31]) Tom. III ibid. ad. 3.
[32]) Tom. III p. 489 q. 147 art. 3 in corp.
[33]) Tom. III ibid. ad 3. [34]) Ibid. ad 2.

homo statuti observantiam praeterire, praesertim consuetudine interveniente, vel si non possit de facili recursus ad superiorem haberi. Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi"[35]). „Et haec est dispensatio praelatis commissa in ieiunio ab ecclesia instituto, et in aliis huiusmodi ecclesiae praeceptis"[36]).

„Quaelibet singularis persona est inferior, quam ecclesia, quae ieiunium sub praecepto statuit, nisi forte ille, qui est caput totius ecclesiae, scil. papa. Ergo nullus alius potest in ieiunio dispensare, nisi papa[37])." Tamen „inferior potest dispensare in praecepto superioris, quando dispensatio sibi a superiore relinquitur[38])."

De ipso porro iuramento papae tribuit potestatem Aquinas. „Sicut iuramentum assertorium, quod est de praeterito vel de praesenti, debet habere veritatem, ita etiam iuramentum de his, quae sunt fienda a nobis in futurum. Et ideo utrumque iuramentum habet quandam obligationem, diversimode tamen, quia in iuramento, quod est de praeterito vel praesenti, obligatio non est respectu rei, quae iam fuit vel est, sed respectu ipsius actus iurandi, ut scil. iuret id, quod iam verum est vel fuit; sed in iuramento, quod praestatur de his, quae sunt fienda a nobis, obligatio cadit e contra super rem, quam aliquis iuramento firmavit; tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id, quod iuravit, alioquin deest veritas iuramento[39])."

Itaque „materia iuramenti assertorii, quod est de praeterito vel praesenti, in quandam necessitatem iam transiit, et immutabilis facta est. Et ideo dispensatio non referretur ad materiam, sed referretur ad ipsum actum iuramenti. Unde talis dispensatio directe esset contra praeceptum divinum"[40]).

„Sed materia iuramenti promissorii est aliquid futurum, quod variari potest, ita scil. quod in aliquo eventu potest esse illicitum

[35]) Ibid. q. 147 art. 4 in corp.
[36]) Tom. VII p. 730 com. in 4 sent. dist. 15 q. 3 art. 2 sol. 1 in corp.
[37]) Tom. VII p. 729 ibid. q. 3 art. 2 quaestiuncula 1 ad 3.
[38]) Ibid. p. 730 sol. 1 ad. 3.
[39]) Tom. III p. 331 q. 89 art. 7 in corp.
[40]) Tom. III p. 333 art. 9 ad 1.

vel novicum, et per consequens non esse debita materia iuramenti. Et ideo dispensari potest in iuramento promissorio, quia talis dispensatio respicit materiam iuramenti et non contrariatur praecepto divino de iuramenti observatione"[41]).

Ac proxime relaxare potest obligatione iuramenti per vim extorti Romanus pontifex: „In iuramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, et talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis deo obligatur, ut impleat, quod per nomen eius promisit. Et talis obligatio non tollitur in foro conscientiae, quia magis debet damnum temporale sustinere, quam iuramentum violare. Potest tamen repetere in iudicio, quod solvit, vel praelato denuntiare, non obstante, quod contrarium iuravit; quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra iustitiam publicam. Romani autem pontifices ab huiusmodi iuramentis homines absolverunt, non quasi decernentes, huiusmodi iuramenta non esse obligatoria, sed quasi huiusmodi obligationes ex iusta causa relaxantes"[42]). Deinde: „Quandoque illud, quod cadit sub iuramento promissorio, est manifeste repugnans iustitiae vel, quia est peccatum, sicut cum aliquis iurat, se facturum esse homicidium, vel quia est maioris boni impeditivum, sicut cum aliquis iurat, se non intraturum esse religionem, et tale iuramentum dispensatione non indiget. Sed in primo casu tenetur aliquis tale iuramentum non servare, in secundo autem casu licitum est et servare et non servare .... Quandoque vero aliquid sub iuramento promittitur, de quo dubium est, utrum sit licitum vel illicitum, proficuum vel novicum, aut simpliciter aut in aliquo casu; et in hoc potest quilibet episcopus dispensare. Quandoque vero sub iuramento promittitur aliquid, quod est manifeste licitum et utile et in tali iuramento non videtur habere locum dispensatio vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum, quod maxime videtur pertinere ad potestatem papae, qui habet curam universalis ecclesiae,

[41]) Ibidem.
[42]) Tom. III p. 332 q. 89 art. 7 ad 2.

vel etiam absoluta relaxatio, quod etiam ad papam pertinet in omnibus generaliter, quae ad dispensationem rerum ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis"[43]).

Sed aliam deinde partem potestatis pontificiae debemus hic commemorare, indulgentias, quae factae sunt in historia reformationis causa celeberrima; unde liceat eam doctrinam planius proponere: „Ecclesia generalis indulgentias approbat et facit; ergo indulgentiae aliquid valent"[44]). „Ab omnibus conceditur, indulgentias aliquid valere, quia impium esset dicere, quod ecclesia aliquid vane faceret. Sed quidam dicunt, quod non valent ad absolvendum a reatu poenae, quam quis in purgatorio secundum iudicium dei meretur, sed valent ad absolutionem ab obligatione, qua sacerdos obligavit poenitentem ad poenam aliquam, vel ad quam etiam ordinatur ex canonum statutis. Sed haec opinio non videtur vera. Primo, quia est expresse contra privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret, et in coelo remitteretur, unde remissio, quae fit quantum ad forum ecclesiae, valet etiam quantum ad forum dei .... Et ideo aliter dicendum, quod valent et quantum ad forum ecclesiae, et quantum ad iudicium dei ad remissionem poenae residuae post contritionem et absolutionem et confessionem, sive sit iniuncta sive non. Ratio autem quare valere possunt, est unitas corporis mystici, in qua multi operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum; et multas etiam tribulationes iniuste sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur; quorum meritorum tanta est copia, quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt, et praecipue propter meritum Christi, quod etsi in sacramentis includitur, non tamen efficacia eius in sacramentis includitur, sed sua infirmitate (infinitate!) efficaciam sacramentorum excedit"[45]).

„Poena autem satisfactoria est ad duo, scil. ad solutionem debiti, et ad medicinam pro peccato vitando. In quantum est ad remedium sequentis peccati, sic satisfactio unius non prodest al-

[43]) Tom. III p. 333 q. 89 art. 9 ad 3.
[44]) Tom. VII p. 843 dist. 20 q. 1 art. 3 quaestiunc. 1.
[45]) Ibid. p. 843 et 844 sol. 1.

teri, quia ex ieiunio unius caro alterius non domatur, nec ex actibus unius alius bene agere consuevit, nisi secundum accidens, in quantum aliquis per bona opera potest mereri augmentum gratiae, quae efficacissimum remedium est ad peccatum vitandum. Sed hoc est per modum meriti magis, quam per modum satisfactionis. Sed quantum ad satisfactionem debiti unus potest pro alio satisfacere, dummodo sit in caritate et opera eius satisfactoria esse possint ... Nec exigitur .... quantum ad solutionem debiti, quod ille, pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum, qui etiam, si esset potens, alio satisfaciente pro ipso, ipse a debito immunis esset; sed hoc requiritur, in quantum poena satisfactoria est in remedium. Unde non est permittendum, ut aliquis pro alio poenitentiam faciat, nisi defectus aliquis appareat in poenitente, vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quam non sit promptus ad portandum poenam"[46]). „Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt, alias absque omni indulgentia remissionem consequeretur, sed communiter pro tota ecclesia ..... Et sic praedicta merita sunt communia totius ecclesiae. Ea autem, quae sunt communia multitudinis alicuius, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium eius, qui multitudini praeest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem poenae, si alius pro eo satisfecisset, ita, si et satisfactio alterius sibi per eum, qui potest, distribuatur"[47]).

Indulgentiae autem tantum valent, quantum praedicantur. „Ecclesia praedicando indulgentias, non mentitur." „Si non tantum valent indulgentiae, quantum praedicantur, omnes mortaliter peccant indulgentiam praedicantes, quod est absurdum"[48]). Tamen „quidam dicunt quod huiusmodi indulgentiae non tantum valent, quantum praedicantur, sed unicuique tantum valent, quantum fides et devotio sua exigit. Sed dicunt, quod ecclesia ad hoc ita pronuntiat, ut quadam pia fraude homines ad bene faciendum alliciat, sicut mater, quae promittit filio pomum, ipsum ad ambulandum pro-

[46]) Tom. VII p. 842 sol. 3.
[47]) Tom. VII p. 844 sol. 1.
[48]) Ibid. p. 843 quaestiunc. 2.

vocat. Sed hoc videtur valde periculosum dicere. Sicut enim dicit Augustinus: „„Si in sacra scriptura deprehenditur aliquid falsitatis, iam robur auctoritatis sacrae scripturae perit““; et similiter, si in praedicatione ecclesiae aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta ecclesiae alicuius auctoritatis ad roborandum fidem“ [49]).

„Causa autem remissionis poenae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam; non autem causa effectiva est vel devotio aut labor aut datum recipientis, aut causa, pro qua fit indulgentia. Unde non oportet, ad aliquod horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita ecclesiae, quae semper superabundant. Et ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem, quod applicentur isti, requiritur *auctoritas* dispensandi huiusmodi thesaurum, et *unio eius*, cui dispensatur, ad eum, qui merebatur, quod est per caritatem; et *ratio dispensationis*, secundum quam salvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt; fecerunt enim ad honorem dei et utilitatem ecclesiae in generali. Unde quaecunque causa adsit, quae in utilitatem ecclesiae vergat et honorem dei, sufficiens est ratio indulgentias elargiendi“ [50]).

„Et ideo docendum, quod indulgentiae simpliciter *tantum valent, quantum praedicantur*, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis caritas, ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem dei et proximi“ [51]).

His praemissis fortasse, quam Thomas de indulgentiis papae tribuerit potestatem, intellegitur: „Potestas concedendi indulgentias sequitur iurisdictionem“ [52]). „Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno; sed episcopi assumuntur in partem sollicitudinis quasi iudices singulis civitatibus praepositi, propter quod etiam solos eos in suis literis fratres vocat, reliquos autem omnes vocat filios. Et ideo potestas faciendi indulgentias plane residet in papa, quia *potest facere quod vult, causa tamen legitima exsistente*; sed in episcopis est taxata secundum ordinationem papae“ [53]). „Nullus potest remittere poenas a iure determinatas, nisi ille, qui habet potestatem ius condendi. Sed poenae satisfactoriae sunt pro peccatis determinatae in iure. Ergo remittere huiusmodi poenas potest solus papa, qui est *conditor iuris*“ [54]). Indulgentias dare episcopi possunt, „secundum quod eis taxatum est et non amplius“ [55]). „Christus poterat relaxare absque omni satisfactione poenam peccati, ut patet Ioann. 8 de muliere adultera. Ergo et Paulus potuit; ergo et papa potest, qui non est minoris potestatis, quam Paulus fuit“ [56]).

[49]) Tom. VII p. 844 sol. 2.
[50]) Ibidem.
[51]) Ibid.
[52]) Tom. VII p. 846 art. 4 sol. 2.

Consuetudinem autem ecclesiae, qua pro temporali subsidio indulgentias facit, ita purgat Thomas: „Temporalia ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia temporalibus uti debemus; et ideo *pro temporalibus simpliciter* non potest fieri indulgentia, sed *pro temporalibus ordinatis ad spiritualia*, sicut repressio inimicorum ecclesiae, qui pacem ecclesiae perturbant, vel sicut *constructio ecclesiarum et pontium* et aliarum eleemosynarum collatio. Et per hoc patet, quod non fit ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed spirituale pro spirituali“ [57]).

De *universitatibus* haec potestas papae a Thoma attribuitur: „Ad eum, qui regit rem publicam, pertinet ordinare de nutritionibus et adinventionibus iuvenum, in quibus exerceri debeant, ut dicitur 10 Ethic. Unde et politica, ut in 1 Ethic. dicitur, ordinat, quas disciplinas debitum est esse in civitatibus et, quales unumquemque oportet discere, et usquequo. Et sic patet, quod ordinare de studio pertinet ad eum, qui praeest reipublicae, et praecipue ad auctoritatem apostolicae sedis, qua universalis ecclesia gubernatur, cui per generale studium providetur“ [58]).

Id postremo de tota papalis potestatis plenitudine restat, ut quae ecclesiae et pontificis in saeculares principes iura Thomas statuerit, inquiramus. Atque de hac re distinguit Thomas duplicem ecclesiae statum: „Fuit enim tempus, quando astiterunt reges adversus Christum, et in illo tempore non solum non da-

[53]) Ibid. sol. 3.
[54]) Tom. VII p. 846 dist. 20 q. 1 art. 4 quaestiunc. 3.
[55]) Ibid. sol. 3.
[56]) Ibid. p. 843 art. 3 quaestiunc. 1.
[57]) Ibid. p. 845 art. 3 sol. 3.
[58]) Tom. XV p. 12 opusc. 1.

bant fidelibus, sed eos occidebant. Aliud vero tempus est nunc, quo reges intellegunt et eruditi serviunt domino Jesu Christo in timore etc., et ideo in isto tempore reges sunt vassalli ecclesiae"[59]).

„Ecclesiae principes saeculares ex officio ecclesiam defendere debent"[60]).

„Quia sacerdotium gentilium et totus divinorum cultus erat propter temporalia bona conquirenda, quae omnia ordinantur ad multitudinis bonum commune, cuius regi cura incumbit, convenienter sacerdotes gentilium regibus subdebantur. Sed et quia in vetere lege promittebantur bona terrena non a daemonibus, sed a deo vero religioso populo exhibenda, inde et in lege vetere sacerdotes regibus leguntur fuisse subiecti. Sed in nova lege est sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona caelestia. Unde in lege Christi reges debent sacerdotibus esse subiecti"[61]).

„Potestas saecularis subditur spirituali, sicut corpus animae, ut Gregorius Nazianz. dicit orat. 17; et ideo non est usurpatum iudicium, si spiritualis praelatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus subditur ei saecularis potestas, vel quae ei a saeculari potestate relinquuntur"[62]). Haec autem verba, quid significent, concipitur, si omnia peccata spirituali iudicio subesse reputatur. „Ecclesiae licet pro temporalibus damnis excommunicare"[63]).

„Iudex ecclesiasticus, cum non debeat excludere nisi indignos ... nec aliquis reddatur indignus nisi per peccatum mortale amiserit charitatem, quae est via ducens ad regnum, ideo nullus excommunicari debet nisi pro peccato mortali. Et quia in damnificando aliquem corporaliter vel in rebus temporalibus aliquis mortaliter peccat, et contra charitatem facit, ideo pro damno temporali illato ecclesia aliquem excommunicare potest"[64]).

Facile autem alia ratio inveniri potest. „Potestas spiritualis

59) Tom. IX p. 625 quodl. 12 q. 13 art. 19 ad 2.
60) Tom. XV p. 5 opusc. 1, contra impugn. dei cultum etc.
61) Tom. XVI p. 237 op. 16 de reg. princ. lib. I cap. 14.
62) Tom. III p. 227 q. 60 art. 6 ad 3.
63) Tom. VII p. 815 dist. 18 q. 2 art. 1 quaestiunc. 3.
64) Ibid. p. 816 sol. 3.

et saecularis utraque deducitur a potestate divina, et ideo in tantum saecularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a deo supposita, scil. in his, quae ad salutem animae pertinent"[65]). Nam ad „salutem animae" non solum pertinet punitio peccatorum, sed etiam „procuratio boni communis" in republica christiana promovendi et augendi. Quae non quidem ab ipso Thoma, sed a Ptolemaeo Lucensi, illo altero opusculi de regimine principum auctore, affertur inter causas pontificii super principes principatus[66]), et ab aliis Thomae discipulis, velut ab Augustino Triumpho[67]).

De papae porro potestate et dignitate haec: „Huius ergo regni (scil. Christi) ministerium, ut a terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis regibus, sed sacerdotibus est commissum, et praecipue summo sacerdoti successori Petri, Romano pontifici, cui omnes reges populi christiani oportet esse subditos, sicut ipsi domino Jesu Christo. Sic enim ei, ad quem finis ultima cura pertinet, subdi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, et eius imperio dirigi"[68]).

Hanc sententiam Thomas adversus principes infideles propius ita explicat: „Infidelitas secundum se ipsam non repugnat dominio, eo quod dominium introductum est de iure gentium, quod est ius humanum: distinctio autem fidelium et infidelium est secundum ius divinum, per quod non tollitur ius humanum. Sed aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter ius dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas."

„Ad ecclesiam autem non pertinet punire infidelitatem in illis, qui nunquam fidem susceperunt, secundum illud apostoli 1 ad Corinth. 5, 12: „„Quid mihi de his, qui foris sunt, iudicare?"" Sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire: et convenienter in hoc puniuntur, quod subditis fidelibus dominari non possint; hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, quia, ut dictum est art. praec. arg. 2 „„homo apo-

65) Tom. VI p. 790 et 791 dist. 44.
66) Tom. XVI p. 266 et 267, de reg. princ. III, 14.
67) De quo cf. Friedbergi dissertationem in Dove's Zeitschrift Bd. VIII 1869, p. 69 ff.
68) Tom. XVI p. 237 opusc. 16 l. I, 14.

stata pravo corde machinatur malum, et iurgia seminat"", intendens homines separare a fide."

„Et ideo, quam cito aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto eius subditi sunt absoluti a dominio eius et iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur"[69]).

Et alio loco haec leguntur: „Circa hoc dupliciter loqui possumus. Uno modo de dominio vel praelatione infidelium super fideles de novo instituenda; et hoc nullo modo permitti debet: cederet enim hoc in scandalum et in periculum fidei; de facili enim illi, qui subiiciuntur aliorum iurisdictioni, immutari possunt ab eis, quibus subsunt, ut sequantur eorum imperium, nisi illi, qui subsunt, fuerint magnae virtutis; et similiter infideles contemnunt fidem, si fidelium defectus cognoscant. Et ideo apostolus prohibuit, ut fideles non contendant iudicio coram iudice infideli. Et ideo nullo modo permittit ecclesia, quod infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercunque eis praeficiantur in aliquo officio."

„Alio modo possumus loqui de dominio vel praelatione iam praeexistenti. Ubi considerandum est, quod dominium et praelatio introducta sunt ex iure humano; distinctio autem fidelium et infidelium est ex iure divino. Ius autem divinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione. Ideo distinctio fidelium et infidelium secundum se considerata non tollit dominium et praelationem infidelium supra fideles."

„Potest tamen iuste per sententiam vel ordinationem ecclesiae auctoritatem dei habentis tale ius dominii vel praelationis tolli, quia infideles merito suae infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios dei."

„Sed hoc quidem ecclesia quandoque facit, quandoque autem non facit. In illis enim infidelibus, qui etiam temporali subiectione subiiciuntur ecclesiae et membris eius, hoc ius ecclesia statuit, ut servus Judaeorum, cum fuerit factus christianus, statim a servitute liberetur nullo pretio dato, si fuerit vernaculus, id est

---

[69]) Tom. III p. 50 et 51 s. t. q. 12 art. 2.

in servitute natus; et similiter si infidelis existens fuerit emptus ad servitium; si autem fuerit emptus ad mercationem, tenetur eum infra tres menses exponere ad vendendum. Nec in hoc iniuriam facit ecclesia, quia cum ipsi Judaei sint servi ecclesiae, potest disponere de rebus eorum, sicut etiam principes saeculares multas leges ediderunt circa suas subditos in favorem libertatis. In illis vero infidelibus, qui temporaliter ecclesiae vel eius membris uon subiacent, praedictum ius ecclesia non statuit, licet posset instituere de iure, et hoc facit ad scandalum vitandum, sicut etiam dominus, Matthaei 17, ostendit, quod poterat se a tributo excusare, quia liberi sunt filii; sed tamen mandavit tributum solvi ad scandalum vitandum"[70]).

„Papa utriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis et saecularis, hoc illo disponente, qui est sacerdos et rex in aeternum, secundum ordinem Melchisedech, rex regum et dominus dominantium, cuius potestas non auferetur et regnum non corrumpetur in saecula saeculorum. Amen"[71]).

---

[70]) Tom. III p. 44 q. 10 art. 10.

[71]) Tom. VI dist. 44 ad 4.

Hanc ecclesiasticae et praesertim papalis potestatis descriptionem ratione et arte critica aeque ac legum doctrinam disputari non convenit, ideo quod nimis, ut fines commentationis transgrederemur, coacti essemus. Ceterum nonnulla, quae ad criticam disputationem maxime infallibilitatis papalis spectant, inveniuntur in libro, qui inscribitur Janus, et apud huius libri adversarium Leitnerum, Der h. Thomas v. Aquin über das unfehlbare Lehramt des Papstes, Freiburg 1872.

XII.

De bonis et reditibus ecclesiasticis.

Facere non possumus, quin in fine adiungamus libello huic ea, quae Thomas de exteris subsidiis divini cultus parandi et sacerdotii sustentandi docuit. Nam haec quoque haud immerito ad statum reipublicae et socialis christianae nobis spectare videntur.

Thomas igitur haec: „Quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scil. et sensibili, duplicem adorationem deo offerimus, scil. spiritualem, quae consistit in interiore mentis devotione, et corporalem, quae consistit in exteriore corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriae, id quod est exterius, refertur ad id, quod est interius, sicut ad principalius, ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per signa humilitatis, quae corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se deo, quia connaturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus“[1]). Adoratio autem dei requirit determinatum locum, id est templa et aedificia publica: „Determinatus locus eligitur ad adorandum, non propter deum, qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes; et hoc triplici ratione: primo quidem propter loci consecrationem, ex qua specialem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur . . . ., secundo propter sacra mysteria et alia sanctitatis signa, quae ibi continentur; tertio propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundum illud Matth. 18, 20: „„Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum““[2]). Sed praeter determinata cultus divini loca etiam alias res a fidelibus deo consacrari necesse est, quae nomine sacrificiorum, oblationum, primitiarum, decimarum comprehenduntur. „Ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas deo in signum debitae subiectionis et honoris, secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii, et ideo oblatio sacrificii pertinet ad ius naturae“[3]). Sacrificia autem, quamquam „templa et altaria instituuntur angelis et sanctis“[4]), tamen nisi soli deo debentur. „Significat autem sacrificium, quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert deo . . . . Anima autem se offert deo in sacrificium, sicut principio suae creationis et sicut fini suae beatificationis; secundum autem veram fidem solus deus est creator animarum nostrarum. Et ideo sicut soli deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam soli ei debemus offerre exteriora sacrificia . . . Hoc etiam videmus in omni republica observari, quod summum rectorem aliquo signo singulari honorant, quodsi cuicunque alteri deferretur esset crimen laesae maiestatis. Et ideo in lege divina statuitur poena mortis his, qui divinum honorem aliis exhibent“[5]).

[1]) Tom. III p. 308 q. 84 art. 2.
[2]) Tom. III p. 308 art. 3 ad 2.

Summum autem et praestantissimum inter catholicos sacrificium missam scil. eiusque celebrandae statuta hic omittimus; magis huc spectant cetera sacrificia, oblationes, decimae. Atque primo „oblationes“, quae ante Christum natum apud Iudaeos fuerant lege divina praeceptae, in nova lege iam non sunt iuris divini, sed Thomas auctorem affert Gregorium VII pontificem: „Omnis christianus procuret ad missarum solemnia aliquid deo offerre“[6]); et ita explicat: „Si quid sic exhibeatur, ut integrum maneat divino cultui deputandum, vel in usus ministrorum expendendum, erit oblatio et non sacrificium. Huiusmodi ergo oblationes de sui ratione habent, quod voluntarie offerantur . . . . Potest tamen contingere, quod aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ratione: primo quidem ex praecedenti conventione; sicut cum alicui conceditur fundus ecclesiae, ut certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem census; secundo propter praecedentem deputationem sive promissionem. Sicut cum aliquis offert

[3]) Ibid. p. 309 art. 1 in corp.
[4]) Ibid. p. 310 art. 2 ad 3.
[5]) Ibid. art. 2 in corp.
[6]) Ibid. p. 312 q. 86 art. 1.

donationem inter vivos, vel cum relinquit in testamento ecclesiae aliquam rem mobilem vel immobilem in posterum solvendam; tertio modo propter ecclesiae necessitatem, puta si ministri ecclesiae non haberent, unde sustentarentur; quarto propter consuetudinem; tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas. Tamen in his duobus ultimis casibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, scil. quantum ad quantitatem et speciem rei oblatae“[7]). „Neque poenam praetereunt illi, qui oblationes debitas non reddunt; possunt puniri per subtractionem sacramentorum, non per ipsum sacerdotem, cui sunt oblationes faciendae, ne videatur pro sacramentorum exhibitione aliquid exigere, sed per superiorem aliquem“[8]). Oblationes autem solum debentur sacerdotibus: „non solum, ut eas in suos usus convertant, verum etiam, ut fideliter eas dispensent, partim quidem expendendo eas in his, quae pertinent ad cultum divinum, partim vero in his, quae pertinent ad proprium victum . . . . partim etiam in usus pauperum, qui sunt, quantum fieri potest, de rebus ecclesiae sustentandi“[9]). Primitias deinde, quae in vetere lege iuris divini fuerant, in nova ita praecipi docet: „Pertinet ad ius naturale, ut homo ex rebus sibi datis a deo aliquid exhibeat ad eius honorem; sed quod talibus personis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in vetere lege iure divino determinatum; in nova autem lege definitur per determinationem ecclesiae, ex qua homines obligantur, ut primitias solvant secundum consuetudinem patriae et indigentiam ministrorum ecclesiae[10]).“

D e c i m a e vero, quae dicuntur, itidem a Thoma exponuntur. Et probe animadvertenda sunt ea, quae de his leguntur in summa theologica, quia Raumeri decimarum expositio nimis iuri divino insistit[11]), quod Thomas praeterit et reiicit. Sed ipse loquatur: „Decimae in vetere lege dabantur ad sustentationem ministrorum dei . . . . Unde

[7]) Ibid. p. 312 art. 1 in corp. [8]) Ibid. ad. 3. [9]) Ibid. art. 2.
[10]) Ibid. p. 314 q. 86 art. 4 in corp.
[11]) Raumer, Geschichte der Hohenstaufen, Bd. VI p. 103: „Im 12. und 13. Jahrhundert ward meist anerkannt, dass sie (sc. diese Abgabe) von menschlicher Willkühr unabhängig und im göttlichen Rechte vorgeschrieben sei.“

praeceptum de solutione decimarum partim quidem erat morale, inditum naturali rationi, partim autem erat iudiciale, ex divina institutione robur habens. Quod enim eis, qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat, sicut et his, qui communi utilitati invigilant, scil. principibus et militibus, et aliis huiusmodi stipendia victus debentur a populo . . . . . Sed determinatio certae partis exhibendae ministris divini cultus non est de iure naturali, sed est introducta institutione divina secundum condicionem illius populi, cui lex dabatur . . . . . Nec tamen . . . est caerimoniale praeceptum, sed iudiciale. Est autem haec differentia inter caerimonialia et iudicialia legis praecepta, quod caerimoniale illicitum est observare tempore legis novae: iudicialia vero, etsi non obligent tempore gratiae, tamen possunt observari absque peccato; et ad eorum observantiam aliqui obligantur, si statuantur auctoritate eorum, quorum est condere legem . . . . Ita determinatio decimae partis solvendae est auctoritate ecclesiae tempore novae legis instituta secundum quandam humanitatem, ut scil. non minus populus novae legis ministris novi testimenti exhiberet, quam popolus veteris legis ministris veteris testamenti exhibebat, cum tamen populus novae legis ad maiora obligetur, secundum illud Matth. 5, 20: „„Nisi abundaverit iustitia vestra plus, quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum,““ et cum ministri novi testamenti sint maioris dignitatis, quam ministri veteris testamenti . . . . Sic ergo patet, quod ad solutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex iure naturali, partim etiam ex institutione ecclesiae, quae tamen pensatis opportunitatibus temporum et personarum, posset aliam partem determinare solvendam[12]).“

Quam late decimarum solvendarum necessitatem patere docuerit Thomas, ex his verbis intellegitur: „Radix solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia, secundum illud apostoli 1. ad Corinth. 9, 11: „„Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra meta-

[12]) Tom. III p. 315 q. 87 art. 1.

mus?"" Quasi per oppositum dicat: „„non magnum est, si carnalia vestra metamus."" Super hoc enim debitum fundavit ecclesia determinationem solutionis decimarum. Omnia autem, quaecunque homo possidet, sub carnalibus continentur. Et ideo de omnibus possessis decimae sunt solvendae[13])." Debentur autem decimae per se solum clericis, et tantum per accidens possunt pervenire ad laicos: „Ius accipiendi decimas spirituale est; consequitur enim illud debitum, quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio, et quo seminantibus spiritualia debentur temporalia; quod ad solos clericos pertinet habentes curam animarum .... Res autem, quae nomine decimarum dantur, corporales sunt, unde possunt in usum quorumlibet cedere, et sic possunt etiam ad laicos pervenire[14])." Neque ipsi clerici sunt prorsus liberi a necessitate decimas dandi: „Clericis, in quantum sunt ministri altaris, spiritualia populo seminantes, decimae a fidelibus debentur. Unde tales clerici, in quantum clerici sunt, id est in quantum habent ecclesiasticas possessiones, decimas solvere non tenentur; ex alia vero causa, scil. propter hoc, quod possident proprio iure, vel ex successione parentum, vel ex emtione, vel quocunque huiusmodi modo, sunt ad decimas solvendas obligati." „Religiosi, qui sunt clerici, si habent curam animarum, spiritualia populo dispensantes, non tenentur decimas dare, sed possunt eas recipere. De aliis vero religiosis etiamsi sint clerici, qui non dispensant populo spiritualia, est alia ratio: ipsi enim tenentur de iure communi decimas dare, habent tamen aliquam immunitatem secundum diversas concessiones eis a sede apostolica factas[15])." „In vetere lege primitiae debebantur sacerdotibus, decimae autem levitis; et quia sub sacerdotibus levitae erant, dominus mandavit, ut ipsi loco primitiarum solverent summo sacerdoti decimam decimae. Unde nunc eadem ratione tenentur clerici summo pontifici decimam dare, si exigeret. Naturalis enim ratio dictat, ut illi, qui habet curam de communi multitudinis statu, provideatur de bonis omnibus; unde possit exequi ea, quae pertinent ad communem salutem[16])."

[13]) Tom. III p. 316 q. 87 art. 2.

[14]) Ibid. p. 317 q. 87 art. 3. [15]) Ibid. p. 318 art. 4 ad 2.

[16]) Tom. III p. 318 q. 87 art. IV ad. 3.

Denique proponit Thomas: „Pauperes non habent causam accipiendi decimas, sed tenentur eas dare"; et alio loco: „cum sacerdotibus decimae debeantur tum de iure naturali, tum de iure divino, tum etiam ex statuto ecclesiae, quamvis sacerdos sit dives, nihilo minus pauper tenetur ei decimas solvere"[17]); attamen altera ex parte „decimae debent cedere in subventionem pauperum per dispensationem clericorum"[18]).

His fere locis, quos apposuimus, inest Thomae de reditibus et exactionibus, quae medio aevo ex populo christiano provenire solebant ad cultum et sacerdotium sustentandum, sententia, quam ex sacra scriptura veteris et novi testamenti, ex lege naturali et ex decretis pontificum probat. Nec tamen ubique orbis christiani ipso medii aevi tempore decimae sunt datae, sicut ipse Thomas testatur: „Nulla consuetudo contraria solvit hominem ab obligatione reddendi decimas, quia haec obligatio fundatur supra ius divinum, et supra ius naturale, unde semper tenentur homines reddere decimas, si ecclesia exigat, etiam contraria consuetudine non obstante. Et in terris, in quibus est consuetudo, quod decimae solvantur, ipsa consuetudo quasi expostulat decimas, unde peccat, qui non redderet. Sed in terris, in quibus non est consuetudo communis, quod decimae dentur, et ecclesia non petit, videtur ecclesia remittere, dum dissimulat; et ideo homines in terris illis non peccant decimas non dando; durum enim esset dicere, quod omnes homines Italiae et orientalium partium damnarentur, qui decimas non solvunt"[19]).

Praeter eas autem annuas decimas et oblationes populi frequentes ecclesia multos fundos et possessiones, ducatus, principatus et ipsa regna ex more saecularium principum tenebat partim propria partim feudalia, ita ut „omnibus modis habendi" ea subiecta possideret. Apparet Thomam Aquinatem hunc rerum statum defendisse et approbasse, quod quidem optime ex hac fortasse quaestione colleges, quam integram et obiectionibus et responsionibus adiectis exhibemus: Quodl. XII, quaest. 13: „Deinde

[17]) Tom. IX p. 546 quodl. VI art. 10.

[18]) Tom. III p. 318 q. 87 art. 4 ad. 4.

[19]) Tom. IX p. 480 quodl. II art. VIII.

fuit quaesitum, utrum sit una ecclesia, quae fuit in principio tempore apostolorum, et quae est modo. Et videtur quod non. Quia nunc non utitur eisdem regulis. Tunc enim praelati erant sine auro et argento in zonis suis. Ergo etc. — 2. Praeterea non legitur, quod Christus et apostoli habuerint castra; modo autem ecclesia habet. Ergo etc. — Contra Matth. ult. 20: „„Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.““ Hoc autem non intellegitur tantum de apostolis, quia omnes mortui sunt, et adhuc saeculum non est consummatum. Ergo etc.“

„Respondeo dicendum, quod eadem est numero ecclesia, quae tunc erat, et quae nunc est; quia eadem fides et eadem fidei sacramenta, eadem auctoritas, eadem professio, unde dicit apostolus 1 Cor. 1, 13: „„Divisus est Christus? Absit.““

„Ad primum ergo dicendum, quod verba Matthaei tripliciter exponuntur. Hilarius et Ambrosius exponunt secundum sensum mysticum dicentes: „„Nolite portare aurum etc.““, id est nihil in spiritualibus ministeriis auro vendatis; „„non duas tunicas““, id est non duplicem animam habeatis. Alii exponunt ad literam, et una expositio est Augustini, qui dicit, quod illa verba non dicuntur per modum praecepti, sed permissionis, ita quod qui non servat, non peccat, et qui servat, melius facit, ut sit sensus „„Nolite portare““, id est, quando itis ad praedicandum, nolite solliciti esse de expensis, quia debentur vobis a populo: „„Dignus est enim operarius etc.““ quasi diceret: „Ideo permitto, quod non portetis, quia digni estis accipere ab aliis, quibus praedicatis. Paulus hoc non servavit, et tamen contra regulam hanc non fecit, sed supererogavit. Alia expositio est aliorum sanctorum, qui dicunt, quod haec dicta sunt praeceptive; sed hoc praeceptum datum est non ad semper servandum, sed ad primam missionem; bis enim eos misit, scil. ante passionem Judaeis et post resurrectionem gentibus. In prima dixit eis: „„In viam gentium ne abieritis““, in secunda dixit: „„Docete omnes gentes.““ In prima mandavit, quod praedicta servarent, non autem in secunda. Et ratio huius est, quia in prima solum mittebantur ad Judaeos, apud quos consuetum erat, quod magistri eorum ab eis sustenta-

rentur; et ideo sine scandalo poterant accipere et uti potestate sibi concessa. Apud vero gentiles non erant huiusmodi consuetudo, quia apud eos non erant huiusmodi praedicatores; et ideo fuisset eis scandalum, et visum fuisset eis, quod pro quaestu apostoli praedicarent; et ideo Paulus hoc praeceptum non servavit in gentibus, et ideo dominus in secunda missione dixit: „„Nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram.““

„Ad secundum dicendum, quod Augustinus respondet in epistola contra Donatistas, et habetur super illud Psalm. 2: „„Quare fremuerunt gentes.““ Distinguit enim diversa tempora ecclesiae. Fuit enim tempus, quando astiterunt reges adversus Christum, et in illo tempore non solum non dabant fidelibus, sed eos occidebant. Aliud vero tempus est nunc, quo reges intellegunt, et eruditi serviunt domino Jesu Christo in timore etc., et ideo in isto tempore reges sunt vassalli ecclesiae. Et ideo est aliud status ecclesiae nunc et tunc, non autem est alia ecclesia“[20]).

Quoniam igitur huc perventum sit, ut, id quod promisimus, criticam operum Thomisticorum condicionem facultatemque adhibendi ad ecclesiasticum, politicum, socialem statum „rei publicae christianae“, quae dicebatur medio aevo, exponendum, nec non fundamenta ecclesiasticae hierarchiae secundum „divi“ Thomae Aquinatis, „principis scholae et aquilae theologiae“, „doctoris angelici“, sententiam et verba satis perlustrasse et proposuisse nobis videamur, ne longius aut ulterius, quam iam fortasse fecimus, metam dissertationis iuvenilis transgrediamur, nunc ab opere desistimus. Nam si ceteram Aquinatis doctrinam, qua propriis de civilis potestatis fundamentis et causis disserit, adhibitis illis, quae in libris aliorum sive laudavimus sive reprehendimus, prosequeremur, sine dubio librum amplum conscribi esset necesse. Et revera libris et literis ab ipso Thoma satis exploratis atque inda-

[20]) Tom. IX p. 625 quodl. 12 q. 13.

gatis, emendatis, auctis eis, quae alii iam de eiusmodi praeceptis Thomae attigerint, fructus haud inutiles perceptum iri confidimus. Quem enim non iuvabit, radicem potestatis civilis, formas et genera reipublicae ostendi, civitatum initia, incrementa, exitia disputari, officia regum et magistratuum, munera, onera, opificia subditorum atque obedientiam, servorum ipsorum nec non Judaeorum condicionem exponi, pretii et valoris finem et causam, mercaturae et navigationis necessitatem utilitatemque, usurae commoditatem eiusdemque malitiam etc. etc., describi a doctore medii aevi eodemque theologo et scholastico? De his omnibus rebus Sanseverino, Feuguerai, Contzen, Funk, Baumann, alii ex Thomae operibus contulerunt suos quisque libellos commentationesve; quibus qui voluerit uti, ratione condicionis criticae operum Thomae, quam restituimus, satis habita, accuratiorem fortasse Thomisticarum de illis rebus opinionum notitiam poterit percipere. Attamen apparet, tali commentatione, cui vera tantum opera Thomae de illis rebus adhibeantur, multo maiorem opportunitatem et commoditatem hominibus literatis iri allatum.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Non constat, ea, quae Ptolemaeus Lucensis in hist. eccl. (Muratori Scriptores XI 1047) et in opusculo de regimine principum lib. III cap. XIX (opp. S. Thomae tom. XVI p. 266) de electione imperatoris narrat, omnino esse falsa.

II.

Reformandae doctrinae christianae principium sumpsit Lutherus a repudiatione infallibilitatis, quae dicitur, pontificiae.

III.

Carolus V reformationem, cum reprimeret, multum provexit.

IV.

Legitimis principibus obedientiam detrectare aut rebellare non licet.

V.

Pontifices Romani principatum super civitates et principes nunquam abdicaverunt.

VI.

Homo notitiam rerum ipsarum percipere potest.

VII.

Cic. de officiis c. 37 § 134: „Nec vero tanquam in possessionem suam venerit, excludat alios ....“ sic scribo: „Ne quis vero, tanquam in possessionem eius venerit, excludat alios ......“

VIII.

Tacit. Agric. cap. 46 in fine, loco vocabuli nam lege iam.

XI.

Opera, quae circumferuntur S. Thomae Aquinatis, denuo arte critica et apparatu literario sunt inquirenda.

VITA.

Natus sum Nicolaus Thoemes, Rhenanus, anno 1846 in Rückweiler prope Baumholder, patre Iosepho, quem adhuc viventem pie colo ac veneror, matre Anna Maria e gente Vandernoth, quam praematura morte ante hos viginti annos mihi ereptam esse vehementissime doleo. Fidem profiteor catholicam.

Literarum elementis domi imbutus et benevola opera curaque R. Dom. I. A. Lonzii primis linguarum rudimentis institutus anno 1860 adii gymnasium Treverense, eiusque per sex annos fui discipulus. Egregia usus sum disciplina virorum praeclarorum Blumii, Fleschii, Fritschii, Koenighoffii, Reisackeri, Stephinskii, Schmidtii ceterorum. Quibus omnibus gratum semper animum exhibebo, maxime vero Dr. Iosepho Reisackero, qui tunc gymnasio director praefuit, Prof. Dr. Ioanni Koenighoffio, qui nunc directoris munere fungitur, R. Dom. Prof. Dr. Aloysio Stephinskio, qui me per quinque annos religionis ac fidei docuit praecepta. Recenti vero memoria teneor ac gratia quam summa recordor salutaris tutelae ac paternae sollicitudinis, qua viri humanissimi illustrissimi RR. DD. Bernardus Ioannes Endres et Franciscus Iosephus Becker, convictorii episcopalis directores, alumnorum studiis ac moribus consulentes, postquam anno 1861 in eum numerum sum receptus, me quoque sibi devinxerunt.

Recepto maturitatis testimonio anno 1866 theologiae alumnis seminarii episcopalis Treverensis, quod Clementinum dicebatur, sum adscriptus, et per duos fere annos Henkio, Marxio, Merteno, Moslero, Walpero ducibus theologiae et philosophiae vacavi.

Anno 1868 deinde confugi ad almam literarum matrem Bonnensem; ubi per quinquies senos menses philosophicis, philologicis, imprimis historicis studiis deditum me docuerunt viri amplissimi illustrissimi PP. DD.: Buecheler, Delius, Diez, Heimsoeth, Jahn, Knoodt, Meyer, Neuhaeuser, Reusch, Schaefer, Simrock, a Sybel, Usener. A Sybelii singulari benevolentia factum est, ut per ter senos menses seminarii historici essem sodalis. Praeterea benigne concesserunt Heimsoeth, ut philologicis, Neuhaeuser, ut Aristotelicis exercitationibus interessem. — Unde anno 1871 Berolinum migravi, et universitatis Fridericae-Guilelmae civibus academicis adscriptus ad hoc tempus, quantum valetudine non impediebar, studiis fui deditus. Berolini hi viri praestantissimi doctissimi me instituerunt PP. DD. Bresslau, Droysen, Harms, Hassel, Kiepert, Mommsen, Nitzsch, Wattenbach. His viris omnibus sicuti ceteris, qui studia mea benevolentia prosecuti sunt, imprimis Henrico fratri carissimo, gratias ago quam plurimas.

